




Biblioteka Jagiellońska
stdr0014723



EFFATA REGUM POLONIÆ

vsque ad IOANNEM CASIMIRUM

a

Nicolao de Chwalkowo Chwalkowski CELSISSIMI IN LIVONIA CURLANDIÆ *et* SEMGALLIÆ DUCIS

Capitaneo Schrundensi & ad AVLAM REGIAM POLONAM *Residente collecta*

Varsaviæ Typis Collegij Scholarum piarum A.º MDCXCIV.

Carol.º de la Haye sculp.



AD
SERENISSIMUM PRINCIPEM Ac DOMINVM,
D. MAXIMILIANUM EMANVELEM
SVPERIORIS ac INFERIORIS BAVARIÆ, *nec non* SVPERIORIS PALATINATVS DVCEM, COMITEM PALATINVM RHENI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERVM Ac ELECTOREM, LANDGRAVIVM LEVCHTENBERGÆ.

Sereniſſime Princeps Elector ac Domine,

Domine Clementiſſime.

PVblica privatam movet monetq; lætitia; Quippe *Dum lætatur Eqves, plauditq; Senator,* ac univerſa geſtit Polonia, mea

X 1 quo-

quoq; vota submisse appono. Erit credo, SERENITAS TVA ELECTORALIS illius exultationis, cujus est Autor, etiam Fautor. DEVS nobis hæc gaudia fecit. Etenim dum ejusdem mirabilis providentia ad VIENNAM Lunæ Turcicæ parat *occasum*, *occasionem* futuro nunc præsenti Fæderi Conjugali dedit. Dum victricia Christianorum arma *barbarum sangvinem palam* fundunt, *pij sangvinis* nexus *occulte* struitur. Vidit Invictissimus Christianorum Vindex IOANNES III. REX POLONIARVM MAXIMVS, MAXIMILIANVM ELECTOREM BA-

BAVARIÆ. Vterque alterius Virtute capitur. Hic Regem ut Patrem veneratur, appellatque. Ille Electorem ut Filium amat. Post luctum enim thori vidui habet

ISTHIC MAXIMILIANVS EMANNVEL ELECTOR BAVARIÆ

Anagramma. *NVNC LEVAMINA, IT E LECHIA TERESIA VXOR AMABILIS.*

Demitur *m* bono omine, mala esse abfutura. Sic & omen & nomen conveniunt. Iam olim VIENNA immortalis gloriæ theatrum SERENISSIMÆ Domui BAVARICÆ fuit. Nam ROBERTI VIRTVOSI Filius PHILIPPVS BELLICOSVS

 nun-

nuncupatus eandem tempore Caroli V. Imperatoris contra Turcas ſtrenuè feliciterq; defendit. *Antiqua* redijt famæ *novitas*, & inde *renovata vetuſtas* Fœderum cum Sanguine Regio Poloniæ naſcitur. Etenim olim Anno 1475. GEORGIVS cognomento DIVES DVX BAVARIÆ HEDWIGEN CASIMIRI IAGELLONIDIS Regis Poloniæ ex ELISABETHA AVSTRIACA Filiam in matrimonio habuit. Nunc inſigne rebus Auſtriacis Hungaricisq; allatum *adjutorium*, *mutuum adjutoriuum* (quo nomine ſacræ literæ Con-

ju-

jugem exprimunt) SERENITATI TVÆ ELECTORALI affert. ILLA eſt SERENISSIMI REGIS IOANNIS III. & SERENISSIMÆ REGINÆ MARIÆ CASIMIRÆ Magnorum Parentũ FILIA, cujus

- - - Tanta potentia formæ
Virtutiſq; fuit - - - -

Vt Tuum, inclyte Heros, cor invictũ vinceret. Princeps Menſe nata *Martio Martiali* ſociatur Viro.

Conjuge Vir dignus, digna Virago Viro.

Charitum profectò Decus florentiſſimum.

Vna trium eſt, animos aut habet una trium.

Sit ILLA, uti Maternarum Virtutum Heres eſt, etiam fœcunditatis exemplar,

LÆ-

Lætis ut vireat ſtirps Celſa Bavarica ſemper
Ramis, ſitq́ʒ ſecunda *Virago Polona* ſecũda!

Dum igitur, ELECTOR SERENISSIME, Regio in Polonia Sangvini olim junctus, & nunc miſceris, non ingratum credo erit SERENITATI TVÆ ELECTORALI, quòd hic Liber, qui REGVM POLONIÆ, ac inter illos etiam altè memorati CASIMIRI IAGELLONIDIS EFFATA exhibet, auguſto Nomini Tuo inſcribitur. Da facilem vultum, Benigniſſime PRINCEPS. Licet enim Iuventus SERENITATIS TVÆ ELECTORALIS ad Scientiã rei militaris non alienis præceptis, ſed Tuis imperijs, non offenſioni- bus


bus belli, ſed victorijs tradita ſit, tamen Muſas tam familiariter in ſecretum admittis, ut hoc ſtudiorum tẽperamento jam minùs Martem Gradivum refugiant.

- - Te doctus priſca loqventem,
Te matura ſenex audit, Te fortia miles,
Hinc amor, hinc veris & non fallentibus omnes
Pro Te ſolliciti votis, hinc nomen ubiq;
Plauſibus auratis celebrant hinc ora figuris.

MAXIMILIANE & nomine & re, DEVS Te ſervet! Exemplum militiæ, DEVS Te ſervet! Sit numerus Vitæ & gloriæ Tuæ innumerus! Ita vovet

SERENITATIS TVÆ ELECTORALIS

humillimus ac devotiſſimus ſervus
NICOLAVS de Chwałkowo CHWAŁKOWSKI.



IN NOMINE

VERBI
Ineffabilis!

EFFATA REGUM
POLONIÆ.

POPIELI I.
ſive Majoris.

*Abuit ille morem ſe execrandi, ut ſæpiſſimè in hæc verba eruperit;* ô utinam à mu ribus corroderer! Vt à muribus corrodatur vovet.

POPIELI II.
ſive Junioris.

HIc *ſimulatâ gravi infirmitate patruos ſuos ad ſe vocavit, atq́; audiente Reginâ duce peſſi-* Morbũ ſim ulat erga Patruos.

mi facti disseruit; Deorum beneficio proximã mortem mihi imminere, & languore,quo me correptum cernitis, edoctus, non ampliùs fas est, posse me aurâ vitali frui, vos charissimos Patruos meos dignum existimavi accersere, ut antequam vitâ meâ exui me contingat, de successore Regni, vestro celeberrimo consilio, cui parere consvevi, aliquid constituam, ut quemadmodũ vestro regnavi munere, sic & vestro perenni & immortali vivam beneficio per successionem filiorum. Magis enim me superstitem,quàm extinctum, magis viventem quàm mortuum existimare potero, si vobiscum meas celebravero exequias, & vestra in me studia palpitante adhuc animâ vivens prospexero, quæ mortuo studio & lege humanitatis affinitatisq; estis impensuri,

suri, fatis enim vocantibus dissolvor, nec fas est mihi vobiscum diutiùs cõmorari. Præstate itaq; vivo,quod morienti essetis præstituri, impietatis enim censeretis facinus, id viventi abnuere amico, quod etiam non consvevit hostis exanimato negare. *Dlugossus in hist. Polon. tom. 1. lib. 1. p. 70.*

Conspiciens Reginam fallacibus indulgere lachrymis, his eam solatur verbis: Quid,inquit,charissima conjux mæsta mades fletibus? quid luctuosis oppressam te quereris acerbitatibus? viduitatem ne times? At certè his, quos pro tuâ viduitate tutandâ relinquo curatores, superstitibus, ejusdem incommoda te ingressuram ne verearis, sed incolumibus illis, vivum quemvis tuum reputa Parentem. Singulos enim Patruos meos strictâ mihi affinitate junctos, quàm Baronum me-

Conjugem falsò mærentem consolatur.

meorum præcipuos moriturus obteſtor, ut in te, natiſq; noſtris communibus, mei vivat vigeatq; nominis recordatio, utpotè qui te filioſq; meos reliquias corporis mei & dimidiũ animæ meæ illis relinquam. *Id. p. 71. Tandem ſeceſſuris Patruis manum quaſi valedicturus, ſimulq; veneficum porrexit poculum, quo poſtea extincti, atq; ex cadaveribus nati ſunt mures, quorum Popielus factus eſt pabulum. Sic Patris ſupra allegatum votum in filio impletum eſt!*

BOLESLAI CHROBRI.

Salutem publicã curat. DIcere *Rex ille ſolitus;* Malle ſe gallinâ veſcentem ſalutem atq; tranquillitatem ſuorũ tueri, quàm delicijs indulgentem pati, ut quiſpiam vexaretur, aut opprimeretur *Cromer. in Chron. Pol. lib 3. p. 44.*

Antequam ad prælium cum Ruthenis veniret, apud milites ſuos hæc fecit verba: Probitatẽ ve-

Milites ſuos cõtra hoſtẽ animat. veſtram, ô milites, in pluribus bellis & periculis retroactis frequentiùs expertus, certamen cum hoſtibus, qui nobis multò plures numero ſunt, eſt ineundum. Cùm aliud agere honeſtas diſſvadeat, vos duco, verbis meis nihil quidem veſtræ virtuti adjecturus, verùm ea quæ imminent, quæq; veriſimiliter contingere poſſunt, commemoraturus: hoſtem enim cernitis, & ſuapte, & noſtris provocatum armis infenſum diſſolutione defluxioneq; exercitus noſtri, qui neq; colligi neq; revocari abſq; evidenti noſtrâ clade & periculo poteſt cervicibus noſtris, & de victoria gloriabundum, imminentem. Itaq; ſi vivere honeſtè in libertate volumus, ſi penates noſtros & conjuges, & liberos ſervare, ſi partis victorijs gloriari, & ſubjectas nationes ſub jugo

& tributo detinere; ſi deinde Ruſſiam ipſam tributariam nobis facere, & opima ſpolia, atq́; captivorũ mancipia, ex ea relata poſſidere libet, ferro armiſq́; hoſtis, numero quidem magnus, ſed animo imbellis & ignavus ſubmovendus eſt, & inanis ſpes reportandæ victoriæ, quâ jam inflatus ſuperbit, & tumet, veſtris dextris eripienda. Quid enim proderit Bohemos viciſſe, illoſq́; & Moravos ditionis noſtræ feciſſe, cæteraſq́; nationes in circuitu debellatas humiliâſſe, ſi Ruthenorum armis victi, & ab hoſte timido fugati, & pavore debellati, ſic ſingulis, quæ virtute quæſivimus, exuamur? Fines Regni noſtri propagaturi, bellum Ruthenis indiximus; niſi nunc hinc victores evadamus, amittimus propagatos. Ego in cœleſtium confiſus auxilio,

lio, ſpero me veſtrâ virtute die hodiernâ inſignem victoriam ex hac hoſtium multitudine relaturum, meiſq́; ſuperioribus victorijs famoſum & clariſſimum titulum hujus victoriæ eventu adjecturum, ſpe optimâ plenus optimè vos ſperare jubeo. Quæ ſi non ſubeſſet, neceſſitas tamen, quæ maximum ac ultimum eſt telum, ſtimulare nos deberet. Quocunq́; enim nos vertamus, ô milites, ad extrema perventum eſt, fugæ enim prædas nobis præſertim hoſtiles vehentibus, nulla facultas circumfuſis undiq́; hoſtium copijs, & nos impigrè obſervantibus. Deditio verò hoſtibus, perpetuam vilitatem & turpitudinem nomini meo atq́; noſtro generi inureret. Auxiliarias verò ex Polonia præſtolari copias eorum eſſet, qui certaminis poſſent de-

declinare discrimen. At nostrâ paucitate hostes conspectâ perpeti in prælium armantur fervore, dum itaq; virtute non possumus, necessitate superiores evadamus. Cura igitur mortis & vitæ præsentis spe circumscripta, unusquisq; vestrum ruat in hostem, jugulum hosti fracturus magis quàm præbiturus. Paucorum annorum accessio unumquemq; vestrum non moveat, cum etsi nunc servati, post tamen nihilominus peste, morbo, vel casu aliquo simus morituri. *Milites hâc adhortatione incensi tam fortiter rem gesserunt, ut hostilis exercitus magnam partem cæsus sit. Dlug. tom. 1. l. 2. p. 146. & 147.*

Invalescente morbo Prælatos & Barones Poloniæ accersit, cæpitq; plures de conservando stabilendoq; Regno cum illis conferre sermones, contestans, & per beneficia, quæ Regno & illis præstiterat, & per coronam, quam

suâ

suâ virtute & sudore quæsiverat, & dilataverat, obligans illos atq; rogans, quatenus morte suâ secutâ servarent concordiam, unionem & charitatem, & ad filium suum, quem in spem successionis universi Regni Poloniæ unicum relinquebat, Miecislaum Ducem nepotemq; nomine Casimirum omnẽ converterent favorem & respectum, & illum in Regem assumentes, Regio Diademate insignirent. Filio quoq; Duci Miecislao tunc præsenti, & ad lectum cum consorte & infante Casimiro adsistenti, longo sermone seriò præcipiens, ut virtutum suarum æmulator existens, divina in primo & præcipuo retinens cultu, Consiliarios in honore, cæteros subditos in justitiâ & æquitate contineret. Voluptates autem mollitiemq; quàm maximè fugeret, & in

Proceres ad concordiam & ad favorem filio suo exhibẽdum adhortatur.

Quomodo se filius gerere debeat præcipit.

ar-

armis tractandis occupatus heroicum quoq; virum se exhiberet, asserens, nationes finitimas à se armis subactas, nisi potentiâ & armis in fide contineantur, facilè jugum detrectaturos, & nervo subjectionis, & obedientiæ, quo hactenus tenebantur, abjecto rebellaturos. *Dlug. Tom. 1. lib. 2. p. 163.*

Cum ante obitum Proceres peterent, quibus honoribus vellet, ut funus ejus prosequerentur, tum ille respondit; Nil aut parùm interest mandare mihi, aut eloqui, quâ gloriâ, quave dignatione à vobis post fata debeam funeris officio efferri, neq; fas vestrum super morte meâ mærorem judico circumscribi, neq; enim adeò angustè & ignaviter scio me vixisse, ut operum meorum recordatio aliquando debeat apud vos quacunq; limitatione concludi, verùm etsi à vobis ordine fa-

Honores funeris sui non vult præscribere.

fatorum subtrahor, conscientiâ tamen clarissimorum operum meorum à me editorum & secundo favore rerum à me gestarum eâ spe plenus decedo, ita me in vestris pectoribus celebratum iri existimo, ut non à vobis tantummodò, & filijs, nepotibusq; vestris, sed ab universa Gentis Polonæ posteritate, quocunq; ævo successurâ coli debeam memoriâ sempiternâ, & novis, atq; exquisitis suffragijs à genere Polonico in regiminis mei honorem apud cœlestes & quosvis mortales attolli. Noscitis quidem me à pucro firmatum taliter & inspiratione divinâ magis, quàm humanâ sic institutum fuisse, ut ad erigendam, ornandam, locupletandam Patriam hanc omnes vires, facultates, & ingenium scrupulosâ intentione converterim, ac pro ejus incremẽ-

Prosperam sui memoriã sperat.

 to

to nullum laborem, nullumq́; periculum, uſq́; in diem hanc exhorruerim, primiſq́; meis partim moribus, partim victorijs Regiam illam dignitatem obtinuerim, ut nemo quantumcunq́; iniquus eorum æſtimator dubitet, me à Majoribus meis virtute, & bellica laude, domeſticiſq́; inſtitutis adeò perluxiſſe, in Patriam quoq́; tam frequentia ornamenta, tam immortalia beneficia contuliſſe, ut ſim meæ domus poſteris notæ excellentiæ & nobilitatis vertex, & Regiæ ſtirpis prima & clariſſima propago, patriæ verò Parens præcipuus, ſuiq́; ſplendoris autor primarius & origo. *Dlugoſſ. ibid. p. 165.*

Dum Proceres certatim eum laudibus extollerent, & univerſa Regia blando murmure perſonaret, Rex iterum ſequentem emiſit ſermonem: Mihi quidem in præſenti agone conſti-

ſtituto, non quo loco condar, quibusve officijs funeri meo juſta ſolvantur à vobis, inſidet ſolicitudo, quippe per funeris pompas per vos celebrandas nequicquam mihi reor profuturas. Altior autem de vobis & veſtra Republica diſtinet, & ſingulari cruciatu cōficit cura. Video ſiquidem, & è longinquo divinitate mentem meam inſpirante contemplor Rempublicā Poloniæ quam ſpecioſam atq́; florentem relinquo, per ſeditiones, diviſioneſq́; veſtras civiles direptum, & peſſundatum iri, quantumq́; cruoris domeſticis bellis Polonia fuſura ſit, quantiſq́; cædibus me abrepto parentatura, contemplor, jamq́; hoſtilium caſtrorum & eorum quorum cervices vobis ſubjugaveram fremitum in vos, & patriam hanc graſſantium exaudire mihi videor, Prædicit futura.

or, video & prolem prosapiamq; Regiam meam hinc exulantem hostibus, quos domaveram, supplicem fieri, & monarchiam Regni Poloniæ in varia divisionum monstra scindi, & horrendâ bellorum ciuilium inuasione, justo DEI permittente judicio, cujus cultũ religionemq; negligentiùs & tepidè, in luxum, voluptates, & seditionem versi, tractabitis, collidi, sola quoq; hæc doloris anxietas, etiamsi morbus non urgeret, animam esset exclusura, nisi multitudine malorum imminentium spes melior temperaret, miseratione enim cœlesti propitiaturum stirpi meæ, & vobis video Deum, proditurumq; ex lumbis meis suspicor, in clarissimi syderis morem unum, qui penè languidam, & exanguem Rempublicam Polonicam & terminos ejus à fini-

finitimis occupatos restituet, qui instaurabit dissoluta, qui superbiam humiliabit hostilem, qui gladij mei capulo conteret, subjicietq; rursus eas, quæ contra vos recalcitraturæ sunt nationes, Regno Poloniæ mirificum jubar, pristinumq; fulgorem suo ductu, suisq; viribus, auspicijs, & operibus infusurus. *Dlugossus tom. 1. lib. 2. p. 165. & 166.*

MIECISLAI II.

POst auditam Patris Boleslai Chrobri ante mortem adhortationem pollicitus est, se fore paternarum virtutum sectatorem, & operum adjutorem, ne quâ occasione sibi Regnoq; Poloniæ segniter se gerendo, nebulas offundat. *Dlugossus ibid. p. 163.*

Promittit quòd sequi velit paternas virtutes.

CA-

CASIMIRI I.

ORatoribus ex Poloniâ, ut ejusdem susciperet Regnum, respondit modestè obortis lachrymis; Exilium suum non ipsis, verùm arcano DEI judicio, & nonnulli fortassis parentum suorum culpæ se imputare; casum dulcissimæ Patriæ, quam sui Majores florentissimam reliquissent, misereri, & adjutam eam omni ope & consilio velle, si integrum id sibi sit. Nec ignorare, majoris esse pietatis, & meriti publica administrantem multorum saluti consulere, quàm privatum, & in solo loco conclusum, innocentiam vitæ suæ tueri, sed alieni jam se juris factumesse, dictam semel DEO, atq; iis, quorum se potestati ultrò subjecisset, fidem fallere non posse. *Cromerus in Hist. Polon. lib. 4. p. 50.*

Oratoribus Regnum offerentibus modestè respondet.

Cùm dispensante Summo Pontifice imperium in se suscepisset, atq; Poloniæ fines attigisset, ibidemq; magno suorum plausu veniam præteritorum petentium exciperetur, ille lachrymans & ipse, comiter omnes consolatus, suspicione culpæ, metuq; supplicij liberabat. Quidquid factum esset, non sine divino nutu factum pro suis fortasse & majorum suorum meritis. Adesse jam se, quem alij vitæ generi deditum, & in eo acquiescentem, tanto studio expetiissent, & revocassent, salutem omnibus, ac non perniciem cuiquam afferentem. Confidere autem se vicissim, ipsos omni fide atq; benevolentiâ complexuros se esse boni ac vigilantis Principis officio fungentem. *dictus Crom. ibid.*

Amnestiam, ac vigilantiam in regimine declarat.

Cùm præfatus Casimirus I. se moriturum agnovisset, Primores Regni sui Posnaniam convocavit, & pluribus limatisq; verbis apud eos concionatus, quatenus concordiam & justi-

Concordiam, filiumq; suũ cõmendat.

tiam summoperè colerent, ut morte suâ secutâ primo genitum filium suum Boleslaum prudentiâ & natu majorem pro Rege susciperent, *quod etiam factum est. Dlugossus in Hist. Pol. tom. 1. lib. 3. p. 227.*

BOLESLAI AVDACIS.

Consiliũ de matrimonio acceptat.

CVm eidem Proceres svaderent, ut stirpi Regiæ per matrimonium prospiceret, respondit; Etsi nondum attigisset ætatem quæ tedas conjugales magnoperè expeteret, satis quoq; temporis ad onerandum se conjugali jugo restaret, vereretur insuper, ne amor futuræ sponsæ illũ acrẽ & ad bella gerenda, inferenda & repellenda ferocem animum efficeret languidũ & remissũ, petitis tamen Consiliariorum suorum satisfacere velle. *Dlugossus tom. 1. lib. 3. p. 239.*

In expeditione contra Russos milites suos hoc modo

do allocutus est; Non ignoratis, milites, complusculos jam annos Izaslaum cognatum nostrum Principatu suo paterno injustè pulsum, apud nos exulare, eiq; restituendo nos hanc operam dare existimatis. Nec sanè fallimini. Debemus hoc propinquitati, debemus humanitati, quin ita hoc naturâ comparatum est, ut afflictæ Principum fortunæ Principes quamvis alienos maximè ad misericordiam moveant. Sed nobis hîc nos etiam serimus, milites, scitis quantum nobis imperium, quam amplam gloriam Majores nostri reliquerunt, & ut alios prætercam, Boleslaus quidem Proavus meus, imperium hoc nostrum Borysthene, Albi & Sala fluvijs, Sarmaticis montibus, & Germanico Oceano, gloriam verò nominis Poloni ijsdem penè, quibus orbis

Ad recuperandã Russiam gravissimè milites adhortatur.

bis terrarum clauditur, finibus, terminavit. Nunc quanto noſtro cum dedecore, & imperium hoc acciſum, & gloria obnubilata ſit, quis neſcit? Equidem vix teneo lachrymas, quod ad Patrem Avumq; meum hæc infamia inprimis attinet, tametſi Patrem veſtra excuſat injuria, & afflictæ nimium Inter-Regno vires. Avo veniam, niſi ſim ipſe ignaviſſimus, dare non poſſum. Verùm enim verò eam à genere noſtro detergere, Ruſſiam Regno huic rurſum adjicere, columniſq; Boleslai, quem ego ut nomine refero, ita & factis referre cupio, imperium noſtrum terminare mihi in animo eſt. Quod vobis placere debet, milites, niſi forte à virtute majorum veſtrorũ degeneraviſtis. Atq; majores quidem noſtri, gentem hanc ſibi priùs incogni-

gnitam adierunt, vexarunt, debellarunt. Nos jugum excutientem & quidem domeſticorum noſtrorum malorum, non ſuarum virium fiduciâ non ulciſcemur? non ad officium revocabimus? niſi fortè ubertas ſoli illius admiranda, hominum ingens opulentia, & ex rerum copiâ ortus luxus, atq; mollicies ab hoc bello vos deterret, milites; At ego, nobiſcum hæc omnia contra ipſos facere judico, quin iſta ipſa inprimis ad ſpem luculentæ prædæ nos invitant. *Sed exercitus hoſtis fugere, quàm dimicare, maluit. vid. Crom. in Chron. Pol. p. 56. 57.*

Anno ſequenti 1074. cum caſtra ad Kioviam moviſſet & obvium ſeſe ipſi offerret Vuſſevoldus cum valido exercitu, ut de prælio de ſummâ rei decerneret, Rex, quod inprimis cupiebat, a-

Milites ad fortitudinem hortatur.

deptus, acies contra instruit, milites paucis cohortatur, ut optatam conficiendi illius belli occasionem ab hoste præter spem sibi oblatam elabi è manibus ne sinerent, & extremum illum ejus conatum desperatione magis, quã spe vincendi susceptum, fortiter retunderent, eundem esse, qui priùs ad manus venire nunquam ausus esset, & ex ijs militibus ferè collectum, qui victi prius, ac vel fugá elapsi, vel deditione factá dimissi à se essent. Si ipsi viri esse pergerent, penitus debellatũ iri eá victoriá, nec nisi præmia belli, & ea quidem amplissima ipsis reliqua fore. Quod si quid eos paululùm falleret, cogitarent in hostico se esse, ne eos quidem qieturos, quos pacatos à tergo reliquissent, adniterentur, ne fortuitò, sed suá virtute atq; fortitudine

ne superiores victorias adepti esse viderentur. *Obtigit plena, nec incruenta tamen Boleslao victoria. Crom. de rebus Pol. lib. 4. p. 59.*

BOLESLAI III.
cognomento CRIVOVSTI.

Milites ad animositatẽ monet.

A*Nte prælium contra Pomeranos & Pruthenos hisce verbis milites allocutus est;* Non superest, *inquit*, milites, spatium, quo vos, ut solebam pugnaturos, alioqui possim, hostis enim quem sæpè vicistis, in conspectu vestro præsens, multa me loqui non sinit. Animo non verbis opus est, si sincerè velimus, nihil me verbis meis vobis additurum reor, si probitas vestra vos deseruerit. At ego de probitate vestrá dudũ mihi cognitá cer-

certus, certam mihi victoriam repromitto, quam ut eripiatis hosti in multitudine & feritate suâ confidenti, præsens etiam necessitas & amor patriæ monet. Si agrum, quem colimus, si patriam, si penates, si uxores, si Tēpla, si labores, & quæcunq; charissima salva volumus, Pomeranorum & Pruthenorum hostium infestorum nobis sanguine inundare oportet. *Dlug. tom. 1. l. 4. 358.*

Patrem memoriâ colit.

Patris sui Vladislai Hermanni effigiem in numismate aureo è collo suspensam circumferebat, & quoties majoris momenti negotium aliquod decernendum occurreret, ori illam admovebat, & venerabundè deosculans solebat dicere; Avertat benignissimus DEVS, ne quid ego indignum Regio tuo nomine statuam! *Saavedra symbol. 17.*

Vbi mortem appropinquare sibi sensit, convocatis Proceribus, qui officij causa undiq; convenerant, *et-*

& quatuor filijs astantibus de concordiâ apud eos verba fecit, partitusq; omnia, quæ tunc erant polonicæ ditionis inter quatuor filios, principatum & summam rerum penes Vladislaum natu maximum constituit, cæteros ejus autoritatem sequi jussit. In partitione quintum filium, qui superiore anno natus erat, præterierat, id Proceres eum oblivione fecisse existimabant. Itaq; admonent, ut ne illum exortem patrimonij relinquat. Respondit Princeps; Iam illi quoq; portionem suam esse designatam. Admirantibus cunctis, Non advertitis, *inquit,* in curru inter quatuor rotas quintam esse partem currus, cui homines insident, & onera imponunt, quæ quidem à rotis sustentatur, atq; portatur. Eum igitur locum inter quatuor fratres quintus obtinebit, illisq; suo tēpore succedet. *Sarnicius Annal. Pol. lib. 6. p. 245.*

De ditionibus inter filios disponit.

VLADISLAI II.

A Proceribus postulat, ut unum se patriarum ditionum velint heredē.

CVm molestè ferret divisum Principatum, sibiq; erepta esse duceret ea, quæ fratribus paternâ voluntate, cunctæq; Poloniæ consensu cessérant, stimulo Christinæ uxoris coram Senatu convocato questus est, Perniciosam esse Reipublicæ partitionem Principatus à Patre suo institutam, propterea quòd multitudo Principum cum hostes ad invadendum audaciores, tum cives ad resistendum infirmiores redderet, cujus rei aliquem gustum parvo temporis spatio ipsi cepissent, vexati impunè à Bohoëmis; qui non modò commovere se, dum penes unum Patrem suum fuit imperium, ausi non essent, verùm etiam pacis conditiones ab eo accepissent. Neq; verò diu quietam esse posse ab intestinis discordijs atq; ci-

civilibus bellis eam Rempublicam, quæ à pluribus exæquato dominatu non certis legibus, sed arbitrio cujusq; gubernetur. Nec diù majestatem unius cujuspiam ab ijs conservari solere, qui non modò genere, sed viribus etiam & potentiâ uni illi pares se esse sentirent. Exemplo esse recenti penè hominum memoriâ Signeum, qui licet genere impar fratri Boleslao, tamen, quod Pater eum illi ex justâ uxore susceptò exæquasset, tantis malis, cladibusq; Rempublicam involverit, ut eam eversurus omninò fuerit, nisi justa fratris indignatio aliquando tamen eum de medio sustulisset. Bòëmos quoq; & Russos vicinos suos nullam aliam ob causam civilibus bellis inter se ad excidium penè collidi, quàm quòd in multos divisa sint eo-

 rum

rum imperia, quocirca vellent, juberent, ut penes unum se, quem primogeniti prærogatiua cæteris fratribus prætulisset, verè esset Regnum, attributurum se esse fratribus aut definitos è fisco suo reditus, aut verò agros nonnullos & territoria, in quibus illi vitam honestè sustentare queant nec tamẽ calcitrandi materiã, aut occasionem habeant. Multò esse præstabilius paucos quosdam incommodo ac detrimento affici, quàm universos perire. *Sed adversos expertus est Proceres. vid. Crom. lib. 6. p. 94. 95.*

MIECISLAI SENIS.

In viam reduci nõ vult.

CVm Gedeon Antistes Cracoviensis illum in viã reducere conaretur, ut ab impositione tributi atq; incognitâ ante colonis fisci avaritia abstineret, respondit; Jure se non injuriâ quicquam egisse, & tam tributorum novorum impositionem, quam evectionum & pænarum exactionem legitimam esse, nec aliter Regnum administrari posse. Nil sibi cum Regibus & Principibus antiquis commune esse, se suo sensu suoq; ingenio duci, & suo arbitrio, non illorum exemplo actiones suas se moderari. Tam bono insuper & eleganti ingenio se præditum, ut non vellet ejus, aut cujuscunq; admonitionibus indigere. Desineret proinde se lacessere, & Pontificalibus potiùs rebus velut proprijs intentus, publica sibi curanda permiteret, non enim se ullâ persvasione aut pacto ab ijs, quæ aggressus esset, sciret, cessaturum. *Sed cùm nullis admonitionibus emendaretur, abrogatum illi imperium est. vid. Dlug. tom. 1. lib. 6. p. 476.*

Miecislaus ille versutiarum plenus eam fortunæ fidem expertus, qualem alijs præstabat, sermone innuebat subinde; Fidem servare eorum tantùm esse Principum, quibus frangere aut non integrum, aut non necessarium esset. *Pastorius in Floro Pol. lib. 2. p. 77.*

CASIMIRI II.

PRincipi huic cùm aliæ virtutes, tum unum maximè moderati animi specimen studia Polonorum conciliavit. *Quidam ex aulicis ejus ad aleam invitatus victusq; extremo jactu, cui tota sors producti in serum noctis ludi committebatur, ita efferbuerat, ut vincenti Casimiro, non modicum auferenti, colaphum duceret. Cùm noctis beneficio elapsum, ac postridie comprehensum omnium sententiæ capitis reum pronunciarent,* Minimè gentium, *inquit Casimirus,* eum occidi oportere, qui dolore grandis jacturæ incogitans deliquisset, & cùm fortunam,

Severior in se ipsum, quàm in alium judex.

nam, à quâ damno affectus erat, ulcisci non posset, in se fortunæ alumnum commotus esset. Se magis in culpâ esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum provocasset. Non modò igitur se illum absolvere, verùm etiam ipsi gratias agere, quòd se ictu illo admonuisset, ne quid indignum Principe in se admitteret, nec se ludo, aut ulli rei levi, ac inhonestæ deinceps daret. *vid. Crom. lib. 6. p. 109. & Pastorius in Fl. Pol. lib. 2. p. 71.*

Proceribus sceptrum fratris offerentibus respondit. Non primum quidem Proceres die hodiernâ de Monarchiæ Principatu suscipiendo à vobis convenior, dudum & in vitâ fratris mei charissimi Boleslai Crispi à Iuxa, & Svantoslao Comitibus pari petitione urgebar, sed nunquam rectum putavi, ut fra-

Imperiũ recusat.

fratris mei turbarẽ ſtatum aut de jure & dignitate ejus quicquam detraherẽ, ſed omni Regno atq; imperio præſtãtiorem duxi fraternæ pacis & concordiæ pietatem. Qui itaq; tunc uni fratri fidum me præſtiti, quâ fronte, modeſtiam meam inquinaturus, alterius Principatum uſurpabo? præſertim cum illum filiali ſemper devotione coluerim, & reciprocè ab eo paternâ amatus fuerim charitate. *Dlugoſſus tom. 1. lib. 6. 478. & 479.*

Licet, cedendo precibus Procerum, Regnum acceptaverit, tamen de reſtituendo fratre, ad Senatum verba fecit; Nimis acerbo animo, Proceres, Miecislai Ducis, qui mihi unicus frater relictus eſt, exilium fero, plurimumq; ejus, & natorum qui alterum me parentem exiſtimant, calamitatis me miſeret, à quo crebro, ut illum in ſuam hereditatem Principatuum reſtituam, exoror. Iuſtam ego Proceres, petitionem ejus eхiſtimo Monarchiæ quoq; Principatu ſe abdicanti ſortem hereditario jure eum concernentem reddi illi æqvũ cenſeo, ac iniqvum reor, ſi eo vivo, & ſpirante, aut filius ejus Otto, aut cæteri in ejus vivant dominio, & ipſo calamitate atq; exilio affecto, illi glorioſi atq; ſplendidi refulgeant. *ibid. p. 488.*

Pro reſtituẽdo fratre intercedit.

Ad prælium contra Ruthenos capeſcendum milites ſuos monuit, eoſdem eſſe hoſtes, quos ipſi cùm aliàs ſæpe numero, tum ſuperioribus aliquot annis apud Poſnaniam fratribus ſuis Ducibus pauci multos viciſſent, atq; profligaſſent, alacritatem illam inconſultæ temeritatis, convicia verò mulieroſitatis eſſe ar-

Milites ad fortitudinem animat.

argumentum, ipſi qui ſe viros ſemper quàm mulieres eſſe maluiſſent, manu ferroq; maledicas linguas ulciſcerẽtur, ſeq; indignos eſſe illis maledictis, dignos majoribus ſuis Ruſſiæ domitoribus oſtenderent & manibus partim patrum, partim propinquorũ ſuorum, qui ijs ipſis in locis, non virtute, ſed dolo, ac proditione victi cecidiſſent, ſanguine perfidorum hoſtium parentarent, *Hiſce animati ac in aciem educti milites victoriam obtinuerunt. Crom. lib. 6. p. 113.*

LESCI ALBI.

Expeditioni bellicæ optat adeſſe.

CVm Nicolaus Palatinus Cracovienſis deſtinaretur copijs militaribus in Haliciam cum Regno Poloniæ uniendam, Leſcus Albus in lachrymas reſolutus, ut in comitem illius expeditionis aſſumeretur, primum Curatores deinde Conſilianos ſingulos blandis hæ-

hærens amplexibus precabatut, pertæſum ſe eſſe, *inquiens*, mollis & otioſæ vitæ, quam eouſq; inter cætus muliebres apud matrem exegiſſet, velle deinceps armatum inter armatos viros verſari, & quæ Principis eſſent munera, uſu condiſcere, ſi adhuc nequiret alium, tamen eum ſe uſum in exercitu præſtiturum, quem ſigna ſua præſtarent. Quòd ſi non impetraret, tamẽ vel cum uno comite ſe caſtra ſecuturum eſſe. *Crom. lib. 7. p. 120.*

LESCI NIGRI.

UBi haud lougè ſe ab hoſtibus Lithvanis & Iazygibus qui ſe in Lublinenſium regionem infuderant, abeſſe ſenſit, advocatis in concionem militibus gravi oratione eos in hoſtem animat, ut viri ſe eſſe pergerent, & conjugibus ac liberis dulciſſimis, propinquis, ne-

Milites ad vindictã hortatur.

neceſſarijs, atq́; etiam agricolis ſuis, qui in fœdam ſervitutem abducerentur, ſubvenirent. Cæſos ſenes atq́; parvos pueros, vaſtatos agros, incenſas villas, pagos & oppida, direpta ſana, violata ſacra naviter ulciſcerentur, & inſignem ſuam Patriæq́; communis ignominiam, vel cum vitæ ſuæ diſcrimine, vindicarent. Honeſtiſſimum eſse pro Patriâ & pro aris & focis dimicantem occumbere, gloriæ, quàm vitæ bonos forteſq́; viros cupidiores eſse debere. Non provenire autem magnam atq́; ſolidam gloriam ſine magnis periculis. Neq́; tamẽ eò ſe hæc dicere, quòd de virtute & alacritate eorum dubitet, aut quod periculoſum admodum cum hoſtibus certamen fore crederet. Eoſdem enim eſse, quos anno ſuperiori intra ipſorum jam fines

nes penè ad internecionem, nullo de ſuis amiſso, profligaſsent, quiq́; clandeſtinis modò invaſionibus vicinos infeſtare ſoliti, irent ergò alacres, cæſiſq́; ſuis eorum ſanguine parentarent, & captivos opem ſuam lachrymis & ejulatibus implorantes liberarent. *Crom. de rebus Pol. lib. 10. Notandum, quòd in hoc prælio an. 1282. omnes Iazyges quotquot adhuc ſupererant, occidione perierunt, ut hodie nonniſi nomen ſuperſit. Sarnicius in Annal. lib. 6. p. 288. Paſtor. in Flor. Polon. lib 2. p. 92.*

VLADISLAI LOGTICI.

C*Vm exercitum contra Cruciferos admoviſſet, ad hunc modum ſuos allocutus eſt;* Si quãtum ore habituq́; præferunt hoſtes, tantam moribus ac factis oſtenderent Numinis curam; bellum, milites, aut nullum cum illis, aut omninò injuſtũ

Militib9 ſuis contra Cruciferos ſtimulos addit.

gereremus. Nec enim inter ſacræ militiæ conſiſtentes munia, violentam in noſtra injicerent manum; & ſua ſervantes improbè à nobis oppugnarentur. Sed nimirum malè reſpondent illi inſtituti ſui legibus, turpiterq́; ex propugnatoribus Chriſtianæ religionis in magiſtros avaritiæ & immanitatis, in cruces turbatoreſq́; vicinorum Principum degenerârunt. Alia eorũ facinora ne memorem, in nos patriamq́; noſtram, quæ illos inſana impiaq́; habendi cupiditas armavit? profugos olim & ſedibus ſuis exutos cognati Principes noſtri in partem belli quidem, ſed & terræ ſimul ſuæ vocârunt. Hîc afflictæ prioris fortunæ allevationem, hic nova hæc, quæ videtis, incrementa cepêre. Expectanda nobis erat gratia; illi vim inferunt, illi focos, in

in quibus nefari ſcilicet aſpides recaluêre, diripiunt, atq́; etiamſi liceat, ereptum nobis eunt. Pomeraniam jam dudumeſt, quòd ſibi uſurpant, magnæ etiam Cujaviæ parti incubant: & his tamen adeò non ſatiatur illorũ avaritia, ut velut irritata magis, in intima patriæ noſtræ viſcera ungues promittat. Verùm modum his, quem ſibi ponere neſciunt, ponet hodie, ſpero, Numinis vindicta, & noſtra, commilitones, virtus. Quam jam pridem ablatarum Provinciarum injuria, malè habiti ab illis agri ſubditiq́; noſtri, profanata à ſacris nempè militibus templa, ita acriter ſtimulant, ut vix difficilius jam fore videatur vincere hoſtem, quam fuit hactenus, inprælium vos ruentes tenere. Nec ullo ſanè degeneri metu ardorem veſtrum inhibui;

bui ; ſed quia malis boniſq; rebus meis edoctus ſcio, quantum poſſint in bello momenta temporum atq; occaſionum. Has profectò qui prudenti patientiâ ſpeculari novit, ſecurus vincit, vel ſi fortuna omninò rectè etiam conſultis repugnet, vincitur ſaltem ſeriùs atq; excuſatius, ſæpè parvis copiis magni exercitus, iniquo vel loco vel tempore deprehenſi debellantur. Sed nobis, milites, hodiernus dies tot offerens benè gerendæ rei opportunitates grande morarum omnium, quas tuliſtis hactenus, pretium oſtentat. Hucuſq; numero adeò prævaluit hoſtis, ut & ſuperare illum arduum foret, & ſuperatis nobis temeritatis inſuper expectanda eſſet nota. Nunc flos exercitus illorum ad ſubigenda Cujaviæ ulteriora miſsus eſt. Sic univerſos ante

cum

cum diſcrimine aggreſſuri, diviſos jam abſq; negotio proteremus. Sed ut multitudine etiamnum pares vel ſuperiores ſint, animo tamen nos non æquant; quos exiguâ mercede autoratos, caterva undiq; collecta, & prædandi, quàm præliandi gnarior, pares profectò afferre non poteſt noſtris, quos pro patria dimicantes, præter nobilitatem ingenitam, ſumma belli non æquitas tantùm, ſed neceſſitas acuit. Ac clamor illorum diſſonus, quo omnia jam iſthìc perſtrepunt, nõne pavorem, & feſtinatione ſe ſua implicantem trepidationem arguit? ſcilicet cautionem noſtram ignaviã forſan hactenus interpretati, quia non provocavimus, nunquam provocaturos credidêre; aut fecialem puto, expectarunt, qui ad prælium paratos eſſe ju-

F be-

beret. Diſcant age nunc exitio ſuo, non eſſe tum pugnandum, cum cupit hoſtis; & periiſſe rerum agendarum occaſiones, cum utrinq; ſciuntur. Cæterùm quos perculſos ita anxioſq; audimus, major mox, milites, occupabit deijcietq; conſternatio; cũ Samotulium noſtratem olim Palatinum, illorum hactenus caſtra pravo conſilio ſeqvutum mutato animo, in illos, pro nobis arma ſtringere videbunt. Id quidem facturum ſe recipit, nec, niſi penitus Polonus eſſe deſijt, eniſurum dubito, ut iras civiles in exitium hoſtibus verſas, crimenq; perfidiæ egregio decore expiatum nobis, Patriæq; probet. Sed & vos, commilitones, certus ſum, ita acturos, ut & civis reſipiſcentis ſtudium viſo veſtro pro Patria pugnandi ardore creſcat; & opera e-

jus à nobis ad communicandam victoriæ gloriam admiſſa, minimè requiſita ad obtinendam videatur. *Egerunt rem fortiter Poloni, ſed nec Cruciferianis virtus defuit, donec præfatus Szamotulius terga eorum inceſſere cœpit, ubi remisêre animos. Paſtor. in Flor. Pol. lib. 2. p. 110. & ſeqq.*

Cùm Rex poſt iſtam victoriam obequitaret, fortè conſpicatus eſt unum de ſuis hominem equeſtris ordinis Florianum cognomine Szary multis vulneribus debilitatum reſupinato corpore jacentem, & ilia per vulnus effluentia manibus cohibentem, converſus eſt ad comites, dixitq; quàm magnus huius viri cruciatus! *Reſpondit ille, majorem eſſe ejus, qui in eodem pago malum vicinum habeat, qualem ipſe expertus ſit.* Rex cõtra, Bono *inquit* animo ſis! Iſthoc ego te malo liberavero, ſi vixeris. *Et ſublatus curatusq; totum pagum, amoto malo vicino, Regiâ munificentiâ adeptus eſt. vid. Cromer. in Polonia p. 203.*

Erga ſaucium miſericors & liberalis eſt.

CASIMIRI MAGNI.

Agricolarum querelis movetur.

MIratur de eo Christophorus Varsevicius, quòd videlicet, cùm aliquando agricolæ de Dominis suis questum ad eum accessissent, ita respondeiit clementissimus ille Rex, desuntne vobis sambuci, & silices, quibus eos ulciscamini. *lib. 1. de optimo statu Libert. p. 120.*

LVDOVICI VNGARI.

De Sceptro Polonico acceptândo cunctatur.

CVm Florianus Episcopus Cracoviensis, & Ioannes Strelcius Cancellarius Regni Poloniæ Anno 1370. nomine Reipublicæ Ludovico Hungariæ Regi offerrent Regnum Poloniæ, sed iste cunctaretur, & Legati orando, atq; Vngariæ Proceres svadendo instarent, tandem respondit præfatus Rex, Non satis intelligere neq; hos, quid svadeant, neq; illos, quid petant, ex neutrorum enim id referre, sicuti ne duobus quidem gregibus ex-

pe-

pediat unum habere Pastorem, ita duas respublicas vix ullâ ratione sine alterius incommodo ab uno administrari posse. *Venit tamen, & assumpsit Sceptrum Polonicum. Sarnicius in Annalibus Pol. p. 330. Crom. lib. 13. p. 222.*

VLADISLAI IAGELLONIS.

CVm hic Rex & Vitoldus Magnus Dux Lithuaniæ circa conversionem Samogitiæ laborarent, accidit lepida res Nicolao Wężyk Ordinis Prædicatorum Sacerdoti ad populum præsentibus Principibus verba facienti. Explicabat fortè de suggestu creati orbis seriem sacer Orator, cum grandis natu vetulus Sacerdotis sermonem interrumpens, populum elatâ voce alloquitur; mihi credite viri, quæcunq; ab hoc juvenculo homine dici audîstis; ficta profectò sunt, unde enim ille hæc nosset, cum ego tot annos, & propè sæculum integrum vitâ & memoriâ complexus, nequaquam horum recorder. Abÿsset tota concio in risum, nisi Rex autoritate suâ Sacerdoti fidem fecisset apud Concionatori fidē apud populum facit.

 popu-

populum. Perbenignè enim edentulum illum, tum reliquos allocutus, edocuit, ſacros Oratores non ea pro concione dicere, quæ ipſi aut oculis ſuis uſurpaſſent, aut ætate attigiſſent, ſed quæ pluribus antè ſæculis ſupremi veriq; DEI potentiâ effecta, ex majorum doctrina, ſcriptorumq; vetuſtorum monumentis, præcipuè ex divinis libris, hauſiſſent, *Kojalov. in Hiſt. Lith. part. 2. lib. 2. p. 94. 95.*

Dei autoritatē in omnia profitetur.

Idem in Miſſæ Sacrificio, cùm Sacra Hoſtia à Sacerdote in altum levaretur, feſtucam, aut quidquam ſimile arreptum, minutimq; confractum abjiciebat, affirmando, hoc argumento ſupremi Numinis in omnia autoritatem, Regiorumq; Capitum ſubjectionem ſe publicè profiteri. *Idem part. 2. p. 165.*

De ceremonia die Aſcēſionis ferr judicium.

Cùm Poſnaniæ in Templo Corporis Chriſti die Aſcenſionis imago reſurrectionis ſurſum funibus, juxta morem avitum ejus Feſti, traheretur, interro-

rogâſſe prædictus Rex fertur, cujus ea eſſet imago? *Reſponderunt, DEI. Tum ille inquit*, detis ei candelam. *Cùm verò diabolus in ſpecie draconis dejiceretnr ex ſummitate templi, rurſus interrogavit*, quid ſibi hoc vellet? *Reſponderunt, eſſe diabolum cœlo dejectum. At ille.* detis ei duos cereos. *Interrogatus quid ita? Reſpondiſſe fertur Polonico idiomate;* Służ Bogu, á diabłá nie gnieway. i. e. DEO ſervias, diabolum ad iram ne concites. *Sarnicius in Annal. Pol. lib. 7. pag. 343.*

Arma potiùs contra Pruſſiam quàm Tamerlanem movēda eſſe ſvadet.

Diſſvadens Vitoldo bellum contra Tamerlanem, ajebat; Præteritis victorijs ſatis jam nominis ad famam quæſitum eſſe, quantò majoribus viribus gerendum bellum ſuſciperetur, tantò plus metûs ex variâ bellorum viciſſitudine, animo obverſari vicinæ potiùs Pruſſiæ, à quâ nil fidi ſperari poſſet, arma opponenda, quò propiora inde pericula imminene-

nerent, eò præsentioribus illic remedijs opus esse. *Kojalov. in Hist. Lith. part. 2. lib. 2. pag. 61. Profligati dein Vitoldiani cæsis plurimis Procerum. ibid. p. 63.*

Cùm idem Rex Vladislaus Iagello contra Crucigeros movisset, finesq́ hostis attigisset, expandit acies in latèpatenti planicie, acceptumq́ manu suâ vexillum maximum, (cujus insigne erat alba aquila coronata hiante rostro, & extensis alis) explicat suspiransq́ & lachrymabundus sonorâ voce ita fatur; DEVS optime maxime, non modò factorum, sed & cogitationum omnium cognitor, Tu mihi testis locupletissimus, me invitum ad hoc bellū cum Christianis qvalibus qualibus, Christianis tamen, gerendum condescendere, maximis & intolerabilibus Crucigerorum injuriis provocatum, & officio meo adductum, ut populos à te curæ & fidei meæ concreditos, de rapacibus & cruentis eorum manibus,

Deo causam belli exponit, cōmēdatq́-

&

& infandis contumeliis vindicem. Tu nôsti, consilia me pacis nunquam defugisse, & vel iniqua pace justum bellum redimere cupivisse, si quem religiosi homines insatiabili cupiditati, & irreligiosæ superbiæ suæ modum statuere voluissent. Sed quando nihil apud eos mansvetudine & patientiâ vix privato homini, nedum Principi consentaneâ proficio, tuæ justitiæ fiduciâ justa piaq; arma sumpsi, tuisq; auspicijs hoc bellum explico. Tu, quæso, justiori causæ faveto, & sanguinem Christianorum hominum, qui immaniter hactenus à Crucigeris trucidati sunt, quosq; hoc bellum utrinq; absumet, ab illis, qui bello causam dederunt, expetito. *Hæc Rex collachrymante exercitu. Crom. lib. 16. p. 266. Sarnic. in Annal. Pol. pag. 345.*

 Cùm

Cùm ante prælium inter Grunwaldam & Tannebergam arrogans, & victoriæ securus Crucigerorum Magister Conradus à Tungingen duos enses sanguine imbutos misisset, unum Regi, alterum Witoldo, Rex caduceatoribus placidè respondit; Quamvis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in DEI nomine gladios contumeliæ causâ ab hoste missos, atq; ita accipere, ut omen victoriæ, quam sibi armorum traditio portendat. Nunquam se quidem à pace abhorruisse, sed quando mallent Crucigeri, & sanguinem Christianum tantoperè sitirent, sperare mansuetudini suæ, & justiori causæ divinum auxilium affuturum, ac de illis condignas crudelitatis atq; superbiæ pœnas expetiturum. Omnem autem eam rem unà cum electione campi se divinæ sapientiæ & justitiæ committere. *Crom. de rebus Polon. lib. 16. p. 268.*

Missos ab hoste gladios in omen victoriæ accipit.

Cùm

Cùm sæpè dictus Rex Iagello in castello Grodzk ad lectum delatus intelligeret, de vita rem agi, vocatos Regni Proceres inprimis rogat, ne in sufficiendo sibi Rege Ladislaum filium præterirent, pollicentibus singulis suam operam, ad Sbigneum Olesnicki Cracoviensem Præsulem orationem convertit, annulum digito suo detractum illi tradit, magnaq; demissione precatur, ut eorum, quæ ex occasione dissidiorum in sentiendo accidissent, veniam sibi indulgeret. *Kojal. part. 2. lib. 4. pag. 164.*

Pro filio sibi sufficiendo intercedit.

Olesnicium deprecatur.

VLADISLAI IAGELLONIDIS.

C*Vm Hungari Vladislao Iagellonidi Regnum suum deferrent, cunctatus est, sed tandem Cracoviæ post longas deliberationes* & grati animi testificationem propter præsens

Hungariæ Regnũ acceptat.

in

in se beneficium, Hungarici Regni jus & tutelam suscipere professus est, quãtumq; humanâ ope fieri posset, daturum se operam *dixit*, ne tam benigni de se judicij Hungaros pœniteret. Ipsorum jam esse, curare, ut quæ suorum nomine spopondissent, rata permanerent, se in tempore promissis suis affuturum. *Callimachus in rebus gestis à Vlad. supradicto lib. 1. p. 636.*

Cùm postea audivisset, quòd Regina Elisabetha alibi Ladislaum filium quadrimestrem posthumum Regio insigni curauerat redimi, gravi sermone Hungaros allocutus est. Alium ego, Proceres & viri Vngari, alium longè quàm video Regni hujus statum me reperturum esse speravi; credebam enim omnium ordinum hominumq; consensu me accitum esse, ut vobis volentibus imperarem, Turcarumq; arma ab Vn-

Discordibus se imperatũ negat.

Vngaria depellerem. Itaq; omissis rebus Lithvanicis, quæ meam præsentiam nunc maximè requirebant, desiderio vestro, & precibus Legatorum vestrorum satisfeci, & meum ad vos adventum maturavi. At nunc advenienti alia se mihi rerum facies offert. Non idem est sensus omnium, diversa studia; habet inter vos non paucos nec obscuros fautores Alberti filius posthumus, & jam ab alijs diademate redimitus est. Quid hinc aliud, quàm civile bellum inter vos propediem expectandum est? Ejus ego vobis autor, causaq; esse nolo, Vngari, abundè Regno paterno contentus sum. Vos, me nihil obstante, quovis modo commodis vestris & quieti, salutiq; publicæ diligenter etiam atq; etiam prospicite, mei verò nullam ducite rationem.

Diadema tamen ipsi impositum est. Cromer. lib. 21. pag. 323.

Cùm Vladislaus ille Iagellonides Rex Vngariæ ad Varnam oppidum fugato equitatu Turcico in Fugam dicit turpẽ esse. *Ianiczarorum phalangem cum paucis invehere-tur, revocare ipsum nitebatur Hunniades, sed frustra,* nam pedem referre turpe, & se, genereq; suo indignum esse duxit, negans ejus esse, qui bellum inferret, fugere. *Tandem magnâ circa se strage editâ, ut vitæ prodigus, ita mortis suæ vindex fuit. Id. ibid. p. 332. Pastor. in Flor. Pol. lib. 3. p. 155.*

CASIMIRI IAGEL-LONIDIS.

CVm *Casimirum Iagellonidem ordines Regni urgerent, ut ex veteri Reipublicæ instituto, jura & prærogativas juramento firmaret, ille in consilio præfatus breviter,* non dissidijs fovendis, neq; quòd Lithvanos causâ cadere nollet, juramenti tempus tam diu

diu extraxisse, meminisse filium se, Iuramẽtũ præstandum differt. fratremq; Regum Poloniæ, quorum acta beneficiaq; inviolata conservari, absq; juramenti religione, ipsis sanguinis pietatisq; vinculis satis obligaretur, neq; nescire suo se periculo rem differre, cum Regnum in eorum manibus agnosceret, quorum liberis suffragijs accepisset, obtestari deinde cæpit, ne affectu agerentur, sed sobria mente dispicerent, quanto Reipublicæ damno id fecisset, ad quod tantâ contentione urgeretur. De Podolia eos Podolia & Volhynia. dimicare, Lithvaniæ verò universæ amissionem non cogitare, ex cujus secessione, concertatio de Podoliâ, ac Volhyniâ perpetua esset futura, eaq; jam non sententiarum, sed armorum, quorum fortunam etiam in justa causa dubiam esse, nemo nesciret. Quid enim

enim proniùs, quàm vulgato Regio de Podoliâ retinendâ juramento, Lithvanos ad comitia novo Duci Lithvaniæ creando convolare, Regem cum prole patrimonio excludere, Podoliæ vires tam validis populis à ſocietate ejus abſtractis æternùm ſuccidere? Darent igitur adhuc annum, ut celato apud Lithvanos conſilio, Luceoriam cæteraſq; arces fidorũ præſidio occupet, gazam publicam privatamq; evehi curet; his peractis ſe in poteſtate Senatus futurũ, ſuaq; ſpontè facturũ ad quæ modò tam intempeſtiuè urgeretur. *Koialow. in Hiſtoriâ Lithv. part. 2. lib. 5. p. 216.*

Iterùm declinare vult juramentũ, ſed tandem præſtat.

Alijs deinde comitijs Petricoviam indictis, Poloni Regem urſerunt, ut fidem ante annum Reipublicæ obligatam exolveret: Rex impetrato ad deliberandum die, reſpondit; ſi per Religionem, ac æquitatem ea ſpondere liceret, quibus

bus contraria, DEO teſte invocato, Lithvaniæ priùs promiſerat, abſq; ulla cunctatione, ſe votis Polonorum pridem ſatisfacturum fuiſſe, at conſcium priorum religionum, quibus ſe ante obſtrinxiſſet, meritò cunctari, precariq;, ne id à ſe poſtularetur, quod abſq; violati Numinis injuria fieri nõ poſſet. Quòd ſi Polonis ea ſententia animo ſtetiſſet, non excedendi ab ea dimicatione, abſq; victoria, facturum ſe, quæ vellent, ita, nè violati prioris juramenti crimen conſciſceret, juraturum nempè veluti Regem Poloniæ, non verò tanquam M. Ducem Lithvaniæ. Rex haud dubius, eò rem inclinare, ut ſe deſerto ad alium deferatur Regnum, tandem ſe poteſtati Senatus permiſit, juravitq; verbis ex Senatorum ſententia conceptis. *Id. part. 2. lib. 5. p. 219.*

 Cum

Cum Lithvani instarent, ut in Principatu Lithvaniæ nepotem suũ Simeonem Olelkovicium Slluciæ Ducem sufficeret; Rex internum animi sensum, ne intempestivâ repulsâ irritaret, dissimulavit, atq; illud solùm præfatus est, negotium grande & ad consilium & ad executionem tempore egere, cuius nunc copiam Prussicum bellum negaret, petit, ut tantisper rẽ differrent. *id. ibid. p. 227. & 278.*

Promotionem Ducis Olelkovicz in Ducem Lithva. differt.

Idem Rex declinando bellum contra Moscovitas prætendebat, ærarii inopiam, militum inter tantas temporis angustias auctorandorum difficultatem, nobilitatis ex diurna à bello vacatione ad castra ineptitudinem, ab adverso apud hostem ærarium nuperâ prædâ locuples, militem bello Scythico exercitatum, vires multitudine validas, animum successibus erectum. Concludebat inde, plenam

Bellum contra Moscovitas declinat.

nam rem temeritate esse, fortunam publicam in eo rerum statu imparibus armis committere. *Prævaluit Regis sententia. Kojal. part. 2. lib. 5. p. 249.*

Postquam filio suo Ioanni Alberto enixè commendaverat, ut Regias vices, quâ posset, maximâ dexteritate in castris contra Scythas obiret, ille mandata impigrè executus est, atq; cum ante conserta signa Scythæ sagittis è longinquo rem gererent, hortatus est suos, ut permissis equo frenis sub ipsa hostium signa concitato cursu contenderent, & adempto arcuum usu, ad gladios prælium deducerent. *Hortanti miles mirâ alacritate obsecutus, simul & formam pugnæ, & fortunam variavit. vid. dictus Kojal. p. 2. lib. 5. p. 253.*

Adhortatur milites, ut sub ipsa Scytharũ signa contendant.

Cùm medicus jussus esset de vitâ sæpè fati Casimiri disertè respondere, ac spem nullam fecisset, Rex, illud unicum effatus, moriendum ergò, *Postquam condito testamento, ad Polonos Proceres orationem vertit,* ut vellent Ioannem Al-

Moribũdus intercedit pro filijs

bertum sibi mortuo surrogare, tum propè cum lachrymis Lithvanos brevibus allocutus, postulavit, *ut Alexandrū Lithvaniæ præficerent, Ioannem deinde, & Alexandrum monuit, ut Sigismundo fratri providerent. Id. ibid. p. 258.*

IOANNIS ALBERTI.

Curosvātij monitionem malè fert.

C*Vm eundem Creslus Curosvantius Cancellarius & Episcopus Vladislaviensis ab institutâ expeditione, quàm Bucoviensem vocant, revocare conaretur, objurgavit illum inquiens,* Sacerdotem Sacrorum, non belli curam gerere debere, se autem vel indusium suum concrematurum esse, si id consilij sui conscium esse sciret. *vid. Sarnic. in Annalib. lib. 7. p. 370. 371.*

ALEXANDRI.

C*Vm Alexander M. D. Lithvaniæ, cum fratre Ioanne Alberto Rege Parczoviæ absq; arbitris*

bitris consilio habito, decrevisset, Valachum persequi bello, atq; interim spargeretur, Turcas magnis viribus in Poloniam bellum adornare: sed postea in castris nihil hostile de Turcis nunciaretur, Proceres Alexandrum adierunt, & rogarunt, ut apertè Senatui indicaret, quo ducere legiones decrevisset? Alexander causatus non rectè à se id postulari, quod ipse sine culpa præstare non posset, monuit, ut permitterent ea sileri, quorum notitia plus nocumenti afferret, neq; obnunciarent expeditioni pro Republica susceptæ. *Quo responso Proceres Lithvaniæ irritati à Rege secesserunt. vid. Kojalov. p. 2. lib. 6. p. 271.*

Expeditionem contra Valachos celat.

SIGISMVNDI I.

P*Ostquam ex Lithvania anno 1545. Senatores alijq; ad Sigismundum I. venissent, atq; de filij eiusdem Sigismundi Augusti actionibus, laboribus & iudicijs referrent, ac prudentiam illius vi-*

Vult filium moderatè laudari.

vigilantiamq; ad cœlos usq; extollerent, dixit: Sinatis etiam ad vituperandum aliquid reliqvum, charissimi Domini. *Gornicius de rebus gestis Pol. p. 13.*

Circa congressum Maximiliani Imperatoris cum Sigismundo I. Poloniæ & Vladislao Hungariæ Regibus, Imperator Sigismundum arctis amplexibus & multâ comitate excepit, verba illa subiungens; Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea! Adhæc Sigismundus latino eloquio respondit, Serenissime Cæsar utinam hic conventus noster sit felix & faustus nobis, subditis nostris, & toti Reipublicæ Christianæ! *Vapovius in Fragm. p. 160.*

Congreditur cum Imperatore Maximiliano.

Cùm postea isti Reges pro maiori commoditate Viennam invitarentur, & magnates Vngari rem suspectam haberent, ne Regibus insidiæ struerentur, atq; sic consultaretur inter ipsos & Polonos, quid potissimum sequerentur? Sigismundus Rex sententiam rogatus, nunquam se in fide & virtute Maximiliani Cæsaris hæsitâsse *dixit*, se regno suo egressum, ut tanti Principis conspectu & colloquio frueretur, iturum se, quo ille juberet, intrepidè ducturum se Vladislaum fratrem & ejus liberos, reducturumq; incolumes, in id vadem se pro fide Cæsaris ponere, se nihil ulteriùs moraturum, qui velint, se sequerentur. *Ea vox ad Cæsarem perlata, optimi Regis commendatâ fide, & constantiâ daturum se operam dixit, ne Polonorum Regem initæ amicitiæ & congressus sui unquam pæniteret. Postero igitur die Rex Sigismundus & Vladislaus ducente Cæsare iverunt Viennam, unde post quatuordecim circiter dies inter mutua propensissimæ voluntatis testimonia, atq; etiam lachrymas discessere. Dictus Vapovius in fragment rer. gestar. Pol.*

In virtute Maximiliani confidit.

Rex ille Sigismundus I. apud subditos tantùm securitatis habuit, ut dictitaret, in sinu se cujusq; illorum posse confidenter so-

Confidentia erga subditos.

ſomnum capere. *Koialou. in Hiſt. Lithv. part.* 2. *lib.* 7. *p.* 408.

Fœdus contra Turcas vovet.

Eundem ultimâ ſenectâ dicere ſolitum referunt, nihil ſe in vitâ magis optâſſe, quàm ut hunc diem videret, cùm conſentientes Chriſtiani Principes Turcas bello aggrederentur, tum profectò ſe omnibus hominibus teſtatum fuiſſe facturum, voluntatené, an neceſſitate Turcarum amicitiam coluiſſet; huic voto illam ab amantiſſimo ſuorum Rege ſubjectam fuiſſe vocem: florentiſſimum quidem ſe, atq; multis auctum rebus, ſed immanibus Turcarum opibus obnoxium expoſitumq; Regnum filio traditurum. *Anton. Mar. Gratianus á Burgo S. Sepulchri Epiſcop. Amerin. de vitâ Commendonis Cardinalis.*

Moriturus admonuit graviter circumſtantes, qualiter ſe gerere deberent in gubernanda Republica, ſed Sigiſmundum Auguſtum potiſſimùm allocutus eſt: Tibi quidem, mi fili, deinceps mater, & ſorores, & maximè Reſpublica curæ eſſe debebunt. In te ſpes omnes omnium ſitæ ſunt, quas fruſtrari te æqvum non eſt. Nonnihil quidem nobis debet Polonia; ſed nos illi multò plus, quippe quæ nos, Majoresq; noſtros, poſthabitis quibuſdam illuſtrioribus, & elegantioribus, & fortaſſe etiam potentioribus, ſibi Reges aſſumpſit, & ſummâ fide, ſtudio, obſequioq; coluit. Te autem, quemadmodum ipſe nôſti, adhuc puerulum regio diademate inſignivit. Ad ejus igitur ſalutem, & dignitatem, viciſſim te, voluntatem tuam, ſtudia, & conatus omnes adjungere inprimis æquum eſt. Id verò ita demũ rectè facies, ſi omnibus te æquabilem, fa-

Filium ad bonũ regimen hortatur.

familiarem verò nonnisi gravissimis, & sapientissimis quibusq; præbueris; si nullius jus, & innocentiam, neq; gratiâ, neq; odio cujusquam opprimi sines. *Sarnicius in Annal. Pol. lib.* 7. *p.* 391. 392.

SIGISMVNDI AVGVSTI.

Hic post mortem patris, matrimonium cum Barbara dissimulare desijt, & posthac Senatum in Curiam vocavit, aliquot Proceribus secreti conscijs mandat, ut Barbaram è paternis ædibus quám magnificentissimè in Regiam deducant, Senatus-Consultum tam diu trahit, donec significaretur, jam eam non procul á palatij limine abesse: tum primùm ad Senatum conversus, quod hactenꝰ, *inquit*, justis magnisq; de causis silentio pressi, hodie vobis aperio. Barbara Radziwilia uxor mea est,

Matrimonium cũ Barbara dissimulatũ aperit.

Præ

præsentibus ejus cognatis, ritu Christiano mihi in matrimonium tradita. Quicquid tandem vestro animo conceptum habeatis, omnes vestros conatus irritos fore, nè dubitaveritis. Non enim ignoratis nullam in terris autoritatem esse, quæ matrimonium inter Christianos legitimè initum, ac convictu firmatum possit rescindere. *His dictis obviam Barbaræ ad atrium progressus, in penetralia regio apparatu instructa uti conjugem deduxit. Kojalov. in Hist. Lithv. parte* 2. *lib.* 7. *p.* 409.

Cùm Ordines regni in Comitijs Petricoviensibus per Directorem suum Petrum Boratynium rogarent, ut cum Barbara uxore divortium iniret; Non sibi vitam chariorem esse, quàm Rempublicam *respondit*, sed cùm vobis Respublica fide inquit, meâ stet salva, quonam modo

Retinẽdæ uxoris firmũ declarat propositum.

 ea

ea fides firma nobis erit, si uxori jussu vestro fidem fregero? Non est, quòd me vobis fidelem speretis fore Regem, si vir uxori fuero infidelis. Quare ut fidem jurejurando firmatam à me vobis præstari vultis, ita non debetis velle, ut ejus fidei Sacramentum, quod uxori, DEO teste, dixi, vi, fraudeué violem, præsertim cùm à Domino IESV palam dicatur, ac ita scriptum legatur: tum aperto recitavit illud ex libro; quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autē suæ detrimentum faciat? quapropter cùm legitimum mihi sit cum uxore connubium, vitam priùs, quàm uxorem deseram. Si quid autem in eo peccavi, quòd sine consilio vestro uxorem hanc duxi, id sanè fide in me vestrâ corrigi, ac ne fiat imposterum, pote-

terit provideri. Nunc verò id agamus, cujus causâ huc convenimus, has autem de matrimonio disputationes missas faciamus, nam ego res omnes uxori posthabui, quam retinebo, quoad non solùm hæc vestis, quâ amictus sum, sed etiam ipsa superfuerit vita. *Orichovius in Annal. Pol. p.* 21. & 22. *Vicit tandem Rex adversantium animos, ut non tantùm illam uxorem, appellarent Patronam Poloniæ, sed & Regni Diadema illi imponerent.*

Postquam sub Sigismundo Augusto invaluerat Respublica Babinensis dicta, & mentio coram illo injecta erat aliquot Procerum, qui insigniti erant honoribus, interrogavit, an etiam Regem in ea Republica haberent? *Cui respondit ipse Capitaneus Babinensis Psomka, absit à nobis cogitatio ipsa, ut te vivente, Serenissime Rex,* De Republicâ Babinēsi percōtatur.

& ſuperſtite, de alio Rege eligendo cogitemus, aliumuè creemus, tu & hîc, & apud nos Rex eſto. Riſit placidè humaniſſimus & benigniſſimus Rex, nec ullum ſignum indignationis dedit, imò verbis, quæ addidit, riſum omnium auxit. *Sarnicius in Annal. Pol. lib. 2. p* 397.

Sororem in gratiam recipit, eiq; teſtamentū tradit.

Dum præfatus Rex anno 1572. *æger Varſaviâ Kniſinum proficiſci vellet, edidit mentis pacificæ erga ſororem ſuam Principem Annam (quamper tempus ſatis longum in conſpectum non admiſerat,) exemplum. Poſtquam enim Karvicius Caſtrorum Metator Regem allocutus eſſet, Itane Sereniſſime Rex diſcedis, non dicendo vale ſorori? Ah præ dolore deſinet vivere. Permittat Majeſtas veſtra, ut accedat, nam lachrymabunda hoc expetit. Rex paululum ſubticendo dixit,* Iubeatis, ut veniat. Comparuit igitur, & flendo Regem depreca-

ta

ta eſt, qui eidem teſtamentum ſuum paucis cum verbis tradidit. *Gornicius de rebus geſtis Pol. p.* 189.

Ad mortē intrepidus eſt.

Cùm memorato Regi medici ſvaderent, ut, licet nunquam ſigna mortis viderent, cum DEO reconciliationem iniret, quoniam ſæpè eveniſset, ut poſt confeſſionem, & ſacræ Cænæ uſum ægrotis valetudo redierit, Rex reſpondit: Debuiſſetis ſanè dudum hoc mihi dicere, nec me lactare ſolamine minùs neceſſario. Faciam hoc craſtina die, ſint omnia, quæ requiruntur parata. *Dictus Gornicius p.* 191.

HENRICI VALESII.

CVm Pariſijs coram electo Rege Henrico de pace diſſidentium in religione fieret mentio, atq; Rex inter Ioannem Zborovium unum ex Legatis ejuſdem Religionis,

atq;

atq; inter Monluccium, (qui legatum in Polonia egerat,) acerbiùs colloquium notaret, ac de illo sciscitaretur, tunc Zborowski præoccupans responsum Monluccij, dixit: Rex Serenissime, nisi oratores tui hanc conditionem dissidentium de religione nomine tuo acceptâssent, nobis contradicentibus Rex eligi non potuisses, imò ni jam approbaveris, Rex Poloniæ non eris. Princeps Henricus, qui sciebat, se liberum populum sub imperium acceptare, dictum eâ modestiâ tulit, ut placuisse videretur, addito ad prudentiam responso, Oratorum potiùs in eo causam, quicquid mutuo consensu apportaretur, non improbaturum se, inirent potiùs consilium, postero die concordes accederent. *Tandem condescendêre oratores vid. Fredro in Henr. Valesio p.* 95.

Pro securitate dissidentium in religione.

Dum

Dum Oratores Poloni conditionem de importando in Poloniam proventu è patrimonio Henrici eo sensu interpretabantur, quatenus illa pecunia in ærario Reipublicæ sub cura Thesaurarij poneretur, recusavit Henricus, sufficere, *inquiens*, si sequeretur vim & sensum conditionis, suaq; in Poloniam importaret sub sua libera potestate & dispendio habiturus. *Cui dicto acquieuerunt. Fredro in Henr. Vales. p.* 95

De importâdo in Poloniâ proventu.

Postquam sinistra in vulgo Gallico emanaverat fama de conditionibus electi Regis, Oratores consulendo dignitati populi Poloni, dolentibus animis ad Regem accesserunt, coram quo Conarscius Episcopus Posnaniensis prolixo usus est sermone, qui non ingratus Henrico fuit respondendo, Quandoquidem DEO visum esset, & populo Polono Electori se Polonorum

K Re-

Polonos benè de se jubet sperare.

Regem fieri, curaturum pro virili, ne suæ electionis Polonos pœniteret, nec darent aures linguæ loquacis populi vana sæpius loquenti, scire se, quorum Rex fieret, scire item, quare in tam dissitas Polonorum terras audita morte Sigismundi Augusti Legatos suos fratrisq; Regis Gallorum ad Regnum petendum misisset. *Fredro in Henr. p.* 101.

Cùm Legati prædicti mentionem intruderent, Annæ Principis, pium & prudentem Principem annuentes, nec minùs & Reipublicæ, quám Henrici commodo futurum, si sociam sceptri acciperet. Ad ea Henricus, Bona sibi polliceri (*respondit*) de eo Polonorum affectu & piâ ac tutrici curâ, quam erga prolem suorum Regum studiosiùs portarent, nec desperare item, si bona fata aliquos sibi suc-

cef-

cessores darent, pari Reipublicæ curâ ijs provisum iri. Quantum verò ad negotium matrimonij, se non posse subita de eo dare responsa, sed referre ad Ordines Regni seu Comitia Coronationis, reliqua verò quæ porrigerentur per legatos, approbare se, & confirmare velle, æquè cum Carolo Rege Galliæ, (nam legati eam conditionem petebant) in pactum cum Galliæ Regno certi fœderis. *Fredro in Henr. p.* 101

Quoad matrimonium refert se ad Comitia Regni.

Post ingressum Cracoviam, Rex Henricus altero die Senatum & Ordines convocavit, & gratias coram habuit, quòd sibi tam potens Regnum volentes offerrent, invigilaturum se per Numinis opem, ne sua regimina reprobari possent, scire se optimorum Regum præcepto, quos regendos susciperet,

Bonum regimen pollicetur.

nec

nec ignorare, quis ipſe fieri deberet, modò tam promptos & faciles in parendo habere poſſet, quàm in conferendo ſibi Sceptro reperit; certiſſimum autem argumentum eſſe boni regiminis, velle Regem rectè imperare, & velle ſubditos prõptè parere. Quantum verò ad libertates, ſeu formandas ſeu conſervandas attineret, non tantùm ſcripta chartá aut privilegio, ſed ſanguine & vitá obſignare ſe velle. *Fredro in Henr. p.* 107.

Wolſcio Vicecā-cellariatum defert.

Fertur Rex Henricus audiens Senatus ſententias, cui deferendus eſſet ViceCancellariatus, inſigne ejus ſigillum verſando ſubſiliente manu, repentè acclamâſſe, Monſieur Wolski, *illudq́ huic á longè per confertam aulicorum turbam ægrè perrumpenti tradidiſſe, præter opinionem omnium. Piaſecius in Chronico p.* 6.

Per-

Iudicioꝝ pertæſus.

Pertæſus aliquando laboris judicialis dixit; Per meam fidem Poloni iſti faciunt, ut agam Iudicem legiſperitum, in brevi volent, ut agam etiam cauſidicum. *Id. in Chron. p.* 50.

De abitu in Galliam deliberat.

Cùm ipſi mater citato nuntio ſignificâſſet, Carolum IX. Regem Galliæ conceſſiſſe fatis, communicavit ille conſilium cum tribus Gallorum fidiſſimis, quid facto opus eſſet, diligentiùs inquiſivit. Ocyus *inquit* me eſſe in Gallia res, uti ſcitis, requirit, ut verò ſubitò hinc abeam, obſtant leges, quæ vetant Regem fines egredi, præterquàm à conſenſu Ordinũ, neq; eſſe poteſtatis Senatorũ à latere, facultatem diſceſsûs mihi dandi, antequam dicantur Comitia, non verò levem meis negotijs moram portendi. Non aliud reſtat, quàm ut clã, vobis comitibus iter aggrediar, nec

credo Ordines improbaturos consilium, ad quos negotij grauitas peruenerit, imò juvabit meum discessum paucis innotescere, minus inde periculum mihi, incognito per externa transeunti. Te verò Dansen oro, cujus virtutem notam habeo, seu scripto, seu oretenus referas Ordinibus causas mei discessûs. Iuvat utiq; hanc Rempublicam eum Regem habere, qui Gallis simul & Polonis præsit. *Sed convocatis deinde aliquot Senatoribus & perterritus Comitialis decreti morâ, ocyus itineri se accinxit. Vid. Fred. in Henrico p.* 116. *& seqq.*

Ioannes Tenczynski, Archicamerarius Regni, & alij Regem assecuti in finibus Silesiæ, provoluti ad pedes Regios petiêre, quatenus ab eo itinere supersederet. Ad quæ Henricus; Non dubitare vos velim de meâ

mea in Rempublicam cura, multa Patriæ vestræ, & vobis debeo, qui me spontè tanti populi Regem creâstis; credere vos velim, quoad mihi vita & sanguis superest, non ero immemor vestræ humanitatis. Cæterum ut ego ab hoc itinere supersedeam, nec ego facere, neq; vos suadere jure potestis. Si apud vos mansero, Regnum Galliæ, hæreditas mea aliorum paratur manibus; discessero, brevi rediturus? nec ideò me Regem amisistis; imò multùm valebit ad Majestatem Reipublicæ vestræ, tum ad potentiam, si obtento meo Regno patrio & opibus, integros Regni Poloniæ proventus ejus necessitatibus dicavero. Si verò dubitatis de meo reditu, nec posse, aitis, Rempublicam pro ejus statu & ordine, absente Rege administrari, Gallia uti

Excusat se, quòd ab itinere in Galliam supersedere nõ possit, reditum tamen in Poloniã promittit.

uti hæreditas per administros regi poterit, ad vos, quos adamavi, revertar; interim dum nunc paululum absum, per prudentissimum Senatum pro autoritate mea facilè consuletur Reipublicæ. Et hæc vobis responsa do; si ultra mecum loqui placet, ascendite quæso currum, nam levia momenta temporis causæ obstant. *Petiêre, suasêre, verùm dum vident frustra verba dari, Regiam dextram valedicturi ad osculum mæsti petunt. Ad ea Henricus ipse collachrymans.* En vobis, *inquit*, manum ex-
Annulũ porrigit. tendens, pignus mei erga Patriam vestram animi! posthæc detracto annulo porrexit Tenczynio subnectens; Tene signum & testimonium fidei Regiæ, quia me brevi visuri estis, eas verò literas, quas Cracoviæ in cubiculo reperietis, quæso curate reddi unicuiq;, qui-

quibus scriptas intelligetis; reliquam mentem, fidelis meus Dansen vobis aperiet, cui fidem, quæso, date. *Dictus Fredro p.* 119. & 120.

STEPHANI BATOREI

IN Comitijs Thorunensibus Anno 1576. *circa disceptationem libertatum in hæc* Pro autoritate suâ zelat.
verba erupit; Non in caula, sed in aula, & liber homo natus & educatus sum, neq; antequam in has terras veni, mihi victus & amictus defuit, libertatem itaq; meam amabo & conservabo. Deo volente per vos in Regem vestrum sum electus, vobis postulantibus & instantibus huc veni, per vos capiti meo corona est imposita. Sum igitur Rex vester, non fictus, neq; pictus, volo regnare, & imperare; neq; feram, ut mei, meorumq;

 Can-

Conſiliariorum ſitis pædagogi, ſed potiùs ita cuſtodiatis libertates veſtras, ne in abuſum vertantur.

De Pękoſlavio judicium fert.

Licet Staniſlaus Pękoſławſki vir militari fortitudine conſpicuus, Regi Stephano non leviter inviſus fuerit, quòd nuntij officio fungens ex Palatinatu Sandomirienſi in Comitijs Regni, Regijs rationibus pertinaciùs obſiſtere ſoleret, ipſemet tamen Rex ut naturâ erga viros fortiores fuit propenſior; non roganti, & ne quidem ſimile quid unquam ſperanti, Præfecturam Sandomirienſem ex melioribus regijs præfecturis potiſſimam detulit, illo uſus dicto: Malè quidem Pękoſlavius agit nuntium, ſed militem optimè. *Piaſecius in Chron. p.* 61.

Donativũ Tartaris negat.

Cùm Tartari donativa quaſi conſveta peterent, Rex ille ſe tributarium tali beſtiæ nunquam fore *reſpondit*, & vacuos dimiſit. *Id. p.* 62.

Quoniam linguæ polonicæ non erat gnarus, latinâ, cujus valdè ſtudioſus & prorſus Terentianus fuit, utebatur & ad eandem excolendam Nobiles Iuniores ſæpiùs adhortatus eſt, dicendo; Diſce latinè, & ego ex te aliquando faciam Mośći Pánie.

Ad lingvã Latinã hortatur Nobiles.

Poſtquam mortuo Franciſco Kraſienio Epiſcopo Cracovienſi, Karnkovius Epiſcopus Vladiſlavienſis, illum Epiſcopatum juvandæ Eccleſiæ, atq; Academiæ reſtaurandæ causâ deſideraret, atq; hoc ſtudium ſuum per Sulikovium Regi aperuerat, Rex ſe eum Archiepiſcopum eſſe malle, *reſpondit*, tum Eccleſiæ & Reipublicæ, tum ſuæ dignitatis causâ, æqvum enim eſſe, ut qui Regi coronam impoſuiſſet Epiſcopus, demum Archiepiſcopus eſſet, & ſua dignitate Regiam etiam ſtabilem efficeret. *Quare poſt fata Vchanij renunciatus Archiepiſcopus, & onus Reipubli-*

Karnkovio ſpẽ Archiepiſcopatûs facit.

 cæ,

cæ, quod hactenus pro ArchiEpiscopo susti-nuerat, pro se ipso gerere cæpit. Sulikou. in Comment. rerum Polon. p. 91. & 134.

Privilegiorum Academiæ Vilnensis obsignationem urget.

Cùm Eustachius Volovicius Castellanus Trocensis ViceCancellarius Lithuaniæ difficilem se in sigillandis Academiæ Vilnensis Privilegijs præberet, Rex Stephanus eum allocutus est; Aut obsignet si vult, aut si non vult, det sigillum, se ipsum obsignaturum esse, sed sigillum jam eum ampliùs non recepturum esse: his auditis, fecit ViceCancellarius, quod Rex voluit, privilegiumq; obsignavit. *Id. p.* 123.

De modo eligẽdi Regis, & de cõpositione inter status disserit.

Circa conclusionem comitiorum Varsaviæ 1581. *Nuncij Terrestres duo rogabant á Rege, rationem inposterum eligendi Regis, & compositionem inter status. Rex testatus est*, se cohorrescere, quoties ei in mentem veniret, tumultum electionum

onum præteritarum, & expavescere ad ea, quæ dissidia inter statum Ecclesiasticum & politicum trahere secum possent. Sed in utraq; re magnas se difficultates perspicere, curaturum tamen, quantum in se esset, ut in his Reipublicæ subveniatur ac prospiciatur, hortaturus, quemadmodum & antea facere solebat, ut ipso absente, paci & tranquillitati publicæ pro se quisq; studeat. Fausta tandem quæq; ac felicia precatur tam ijs, qui domi mansuri essent, quàm qui in bellum ituri, ut mox lætabundi utriq; in mutuos complexus ruant. *Sarnic. in Annal. Pol. lib.* 8. *p.* 406. 407.

Refert Varsevicius, quòd Rex Stephanus in castris ad Plescoviam ipsi dixerit, decrevisse se potiùs extrema pati, quàm ut in fraudem Reipublicæ vel tan-

tantillum in Livonia terræ, in qua Moſchus veſtigium faceret, ei relinqueretur. *In orat. Funeb. dicti Regis.*

Tria Dei reſervata. *Religionem vi promovere noluit, dictitans;* Tria ſibi DEVS reſervavit, creare aliquid ex nihilo, futura præſcire, dominari conſcientijs.

Pro veritate & juſtitia zelat. *Effatum ejuſdem coram tota Republica;* Pro veritate & juſtitia, etiamſi me mori oporteat, mortem nuſquam formidabo, felix mors eſt, cui veritas parat viam, juſtitia nectit coronam.

De morte. *Solebat crebris uſurpare id ſermonibus:* Qualis quiſq; Princeps in vita fuiſſet, ſupremam ejus diem non obſcurè demonſtrare.

De ſepulchris. Multos ſibi ſepulchra condere, & centum millibus paſſuum ab eis mori, atq; tumulari.

De hominũ ſocietate. Homines ſi vel indies ab alijs fraudarentur, cum hominibus, & non cũ brutis animantibus vivere oportere.

De pugnæ loco. Pugnæ locum in campo aliter elegi, aliter in ædium penetralibus cogitatione deſignari.

De Principum conſilijs. Multos de Principum conſilijs judicium ferre, ſed non peræquè eſſe conſcios cauſarum. *Varſevic. in orat. Funebr. Regis Stephani.*

De hujus Regis morte hoc ſingulare memoriæ prodit Sarnicius; cùm magis ac magis in horas invaleſceret morbus, & permodica ſpes de ejus vita ſeſe oſtenderet, interrogatus á circumſtantibus, quo pacto ſe haberet? reſpondiſse fertur. Licere ſibi nunc uti verbis illis Divi Tertulliani; quinquaginta quatuor annos peregi, ſcio quales dies fuerint, quales verò futuri ſint inpoſterum, ignoro. *In Annal. Polon. lib. 2. p. 409.*

De vita ſuâ judicat.

Ob

Ob morbi vim proſtratis jam viribus, & hora mortis inſtante, verbis illis ex Dominico in cruce Eptalogio ipſum Dominum imitatus, animam ſuam DEO reddidit; In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.. *Id. ibid.*

In Domino cũ Domini verbis moritur.

SIGISMVNDI. TERTII.

CVm de profectione ejuſdem in Sueciam diſceptaretur, & nonnulli ſvaderent, ut omnia priùs, quæ ad conſtituendas res illius Regni pertinerent, per Legatos experiretur, quàm ipſe præſens magno utriusq; Regni periculo tantum diſcrimen ſubiret. E contra Rex oſtendebat, nunc quidem iſthic pacatas res eſſe, cæterùm ſi ipſe eò ire moraretur, omnia partim adventus ſui deſperatione, partim ambitione quorundam perturbatum iri; gratum ſibi eſſe, quòd ordines Regni Poloniæ & dignitatis, & ſecuritatis ſuæ rationem habeant, cæterùm ſibi ſatis perſpectum eſſe præſentem Sveciæ ſtatum, nec quidquam iſthic ſubeſſe periculi, ſubditos omnes ſecundùm Patris ſui mortem in officio eſſe, & fore, ſi viciſſim ipſe maturo ad paternum, hæreditariumq; regnum adventu, ſibi ſalutem eorũ, curæ eſſe oſtenderit; ſe non eo animo proficiſci velle, ut interim rem Polonam negligeret, ſed ut rationibus utriuſq; regni conſuleret, per legatos jusjurandum nec dari, nec ritè peti, nec Regni hæreditarij poſſeſſionem adiri poſſe, in qua apprehendenda, multa haud dubiò intervenirent, quæ præſentiam Regis poſcerent. Deniq; impoſterum quoq; proſpiciendum, reſq; illius regni, & ejus abſente Rege ad-

Neceſſitatẽ profectionis in Sveciã exponit.

ministrandi, gubernandiq; modus præscribendus: in eum eventum pactis electionis Varsaviensis cautum fuisse, ut consultis regni Senatoribus, dum id res Sveciæ poscerent, nemo ejusmodi profectioni intercederet, aut eam moraretur. *In eam itaq; sententiam decretum comitiale factum, & permissa est Regi in Sveciam profectio. vid. Lubienscii pag. 5.*

Dum nonnulli Sigismundo III. in motu civili svadebant, cedendum esse, Prussiamq; sibi fidam & multis oppidis tutam petendum, donec interim majora subsidia pararentur; Rex in eo statu nutantibus plerisq;, ac metu perterritis, ab animi magnitudine consilium mutuatus; nequaquam dignitati suæ convenire, hostium minis tantoperè permoveri, vel signa timoris præseferre *respondit*, pro-

Cracoviam se iturũ declarat, ne hostium minis perterritus videatur

in-

inde iturum Cracoviam solito comitatu, non existimare hostes eò audaciæ progressuros, ut iter suum impediant; quòd si id facere conati fuerint, non defore sibi rationes, quibus securitati suæ prospiciat, confidere se virtuti & fidei Polonæ: deniq; omnia potiùs perpessurum, quàm ut aliquid se & nomine suo indignum committat. *Lubienscius p. 67.*

Postquam ille Rex prope Vistulã ad Ianovecium, in quo constiterant Rokossiani accessisset, accito Ianussio Zbarascio Palatino Braclaviensi, viro belli artibus domi, forisq; claro, ac spectatæ in se fidei, curam salutis suæ, & totius exercitus ad eum defert, ea usus oratione; nunquam cogitaveramus accidere posse, ut cum ijs, qui pro nobis arma, nos verò eos tueri teneremur, bellum gereremus; sed

Iustitiæ causæ suæ confidit.

quo-

quoniam audax temeritas in præceps ivit, & juſtitiæ noſtræ, quâ nos in conſpectu DEI potiores eſſe confidimus, periculum facere vult, ejus decreto, qui & cor noſtrum intuetur, & illorum conatus perſpectos habet, nos permittimus. Cæterùm ſi quid ſanguinis Poloni in regni viſceribus fuſum fuerit, id non noſtrâ, ſed eorum culpâ eventurum; & Senatum, & militarem ordinem, qui nobiſcum eſt, teſtamur. *Lubienſcius lib.* 2. *p.* 88.

A clementia erga Rokoſſianos non alienum ſe profitetur.

Cum his dictis, ſignum belli propoſuiſſet, & in eo ardore Senatores, qui tunc aderant, priùs clementiâ, quàm armis rebelles aggrediendos eſſe, conſulerent; ille nunquam facilior, quàm cùm ſanguini parcendum foret, hoc tantum præfatus: ſe quidem tot affectum eſſe injuriis, ut innatam naturæ ſuæ patientiam jam fe-

rè vincant, libenter tamen aſſentiri, ut Senatus ea, quæ expedire paci, & publicæ tranquillitati cenſuerit, ſuſcipiat, & ſedulò amore Patriæ curet. Notam eſſe omnibus ſuam innocentiam, notum animum pacis, & concordiæ cupidũ, totum ſe eorũ arbitrio permittere. *Id. ibid. p.* 89.

Innocẽtiam ſuã cõtra adverſantium calumnias profitetur.

Cùm tempus Senatûs conſulto præfixum præteriiſſet, ac nemo, qui vel in Regem, vel in quenquam ex Senatu aliquid proferret, *compareret; Rex in maxima Senatorij, equeſtrisq; ordinis frequentia, multis etiam Rokoſſianorum, qui frequentes ſub ſpecie legationis Varſaviam venerant, præſentibus, quàm indignè ab adverſarijs inſignem patiatur calumniam, oſtenſurus, omnium in ſe animos, oculosq; convertit: paucis igitur verbis præfatus.* Sibi ab eo tempore, quo Divina voluntate, &

 con-

consentientibus ordinum studijs sceptra huius regni ad se delata sunt, nihil unquam potius fuisse, quàm ut jura, libertatesq; Majorum suorum, benignitate concessas conservaret; & quamvis,ut in ea omnium expectationi amplissimi Senatus (cujus munus est providere, ne quid secus fiat) testimonio responderet, adniteretur, non potuisse tamen, DEO ita permittente, effugere improborum hominum maledicas, & sua Majestate indignas voces, quibus falsò insimularetur, earum rerum, quas nunquam in animo habuerit; publico edicto, ex Senatûs, & omnium ordinum sententia datam esse potestatem, cunctis in hoc amplissimo Regni consessu vel se, vel Senatum palam, & liberè arguendi; id ut fieret, libenter se, quò magis sua li-

licentia eluceret, assensisse; si quid præterea Ordines postularent, se eorum arbitrio stare velle, omnium interesse, vanas istas suspiciones ex animis hominum evelli, & motus Reipublicæ componi. Confidere se, DEVM suæ innocentiæ testem, brevi universo orbi palam facturum, falsas esse adversariorum suorum calumnias, se sibi optimè conscium esse, nihil à se factum, quod juramento suo adversaretur, ejus rei Senatum, & ordines esse, & apud posteritatem fore testes; non dubitare, daturos operam ordines, ut ejus, tum insignis læsæ Majestatis injuria aboleatur, & maledicæ calumniatorum linguæ, quo imposterum innocentia inter improbos tuta sit, coerceantur. *Secundùm eam Regis orationem, universus Senatus assurrexit lauda-*

davitq; Regis animi moderationem. Nuntij quoq; terrarum, Regis, Senatûsq; innocentiam comprobavêre. Præclara fuit illius diei rerum facies, cùm vel omnium hostium confessione iniqui inanibus promissis credulum populum ad seditionem concitârant, vanitatis convicti viderentur. vid. plur. Lubienscius lib. 3. *de motu Civili in Polon. p.* 119.

Cùm Cardinalis Macieiovius Archiepiscopus Gneznensis Regi Sigismundo III. in castris Varsaviensibus contra Rokossianos signa disponenti occurreret, atq; oraret, ut futura victoriâ clementer uti vellet, Rex laudata Cardinalis pietate, faustæq; comprecationis studio benignè excepto; ita se hoc bellum gesturum, *respondit*, ut non quid hostes sui commeruerint, sed quid se dignum sit, ac pacatæ Reipublicæ rationes exposcant, fa-

Clementer se acturum declarat.

facturum polliceretur, *utriq; dicenti obortæ lachrymæ, cunctos, qui viderant, eodem affectu commoverunt. Lubienscius l.* 3. *p.* 125.

Dum post victoriam contra Rokossianos obtentam percunctarentur Duces, an instare victis, fugientesq; longiùs Rex sequi jubet; Ne *inquit*, dum noxios seditionis autores persequimur, multi eorum fraude in errorem inducti, simul pereant, sinamus interim omnes saluti suæ consulere. *Id. ibid. p.* 180.

Moderatio erga victos.

VLADISLAI IV.

P*Ostquam Anno millesimo sexcentesimo decimo septimo Vladislaum Principem itineri in Moschoviam accinctum Laurentius Gembicius Archiepiscopus Gneznensis eleganti sermone compellâsset, qui Regi Sigismundo III. & Principi Uladislao*

elicuit lachrymas, tum hic rupto, quo omnes defixi steterant silentio, succinctè facundèq; respondit; Virtutes, quas tantoperè cum fausta itineris apprecatione Archiepiscopus commendaret, ut natalibus suis dignos amplecti se velle, in quibus præcipuum Regnorum columen, basimq; esse sciret, Reipublicæ Polonæ ita se memorem victurum, ut à sua prompta, propensaq; voluntate, optima sibi quæq; polliceri, expectareq; possit. Serenissimo verò Patri, quid obsequens deberet filius, perbellè se nôsse, duraturam, ubicunq; esset terrarum, suam erga optimum Parentem, quoad viveret, observantiam, nec dissolvendum unquam, nisi ab extrema leti hora dulcissimi affectus vinculum. *Kobierzycius in Principe Vladisl. p.* 486. 487.

Erga Rempublicā declarat propensionē, & erga Patrem observantiam.

Cum

Cùm in expeditione contra Moschos nonnullæ è Lithvanicis legionibus equitum centuriæ, ob non persoluta stipendia obsequium denegarent, Vladislaus arcessitos ad se, tali compellavit sermone; Egregiam verò laudem refertis à contumacia vestra milites, si eo adhuc nomine compellandi estis. Hæcne ego speraverim à Nobilibus Polonis, quorum spectata, indubitataq; erga Reges, ac Principes fides, vestrâ polluitur insolentiâ, cùm Regis vestri filium, commilitonem vestrum, laborum, ærumnarumq; socium, procul à Patria, in hostium terris agentem, inter mille discrimina positum deseritis, proditisq; ? Ergone plus meruêre infames illi Demetrij, vana, personataq; Principum nomina, quibus, & æris inanes, & militiæ laboribus fessi, attenuatiq;, pertinaciter adhæsi-

Contumaces milites gravi sermone alloquitur.

 si-

ſiſtis, devotis pro illorum ſalute, incrementoq; corporibus, mihi verò Regũ veſtrorum ſanguini in Polono nato educatoq; ſolo, legitimè electo, Magno Duci Moſchoviæ tam felicem eſſe non licebit? Quæ iſta intemperies, dum à quæſtoribus M. D. L. pecunia ordinatur, brevi tranſmittenda, mandatumq; operimur Regium, nullo conſilio præcipites ruere, atq; tanto deſerti veſtri Principis ſe contaminare ſcelere? ſcripſiſſem utinam lætiora, magiſq; honorifica Regi Parenti meo de vobis, & qui calamum promptum, expeditumq;, ad commendanda munificentiæ Regiæ ſpectata militum facinora habueram, jam cogor invitus aliò detorquere, & pro præmijs, pœnas contumaciæ debitas expoſcere. Interim aderit mihi, inſolentiæ veſtræ ul-

ultor DEVS; aderit propitia fortuna Regis, aderunt cæteræ fidæ legiones, gratiam, munificentiamq; Regiam conſtantiâ ſuâ emerituræ, quibus meam incolumitatem, dignitatemq; tanto tutiùs credo, quantò non bellicis tantùm operibus, ſed fide, amore erga Regem, ejuſq; filium præſtant. Agite itaq;, aut ſeriò reſipiſcite obſequio reddito, aut ſi ita deſtinatum eſt, per hujuſmodi turbamenta, belli curſum non retardetis. *Id. lib. 7. p.* 531. 532.

Quâ facta admonitione, brevi miles ad obſequium redijt, promiſſorum ſtipendiorum, verbo Principis quod dediſſet, certus.

Cùm poſt glorioſam in caſtris mortem Chodkiewicij, Lithvanæ legiones Staniſlao Lubomirſcio Pincernæ Regni, qui fungebatur munere Ducis Campeſtris, obſequium denegarent, unius Vladiſlai Principis re-

gi

Lithvanos ad obsequium Lubomirscio præstandum hortatur.

gimini sese subjicientes, tum Vladislaus accitis primoribus; scire se, inquit, in hac Lithvanorum ad Polonos accessione, conjunctioneq; in unum nomen, imperiumq; unamq; gentem, solis tantummodò honoribus, officijsq; discretam, distinctamq;, nunquam tamen dedecori duxisse, Polonos, in absentia suorum Imperatorum, Lithvano paruisse Duci; vixisset utinam Chodkievicius, constantem obsequij facilitatem prout expertus erat, à tam numeroso Polonorum exercitu habuisset, quam nunc paucæ, ac longè inferiores numero Lithvanæ copiæ Lubomirscio denegarent, quem Collegam Chodkievicij, Rex, Resq; publica unanimi comitiorum consensu dixisset: se certè Lubomirscij regimen agnoscere velle, nec infra Majestatem suam videri, si il-

illi obtemperárit, penes quem jam armorum, belliq; summa esset. *Quod modestiæ, & comitatis exemplum, Lithvanos Ductores, militesq; mox in Lubomirscij traxit obsequium. Kobierzycius in Histor. Vladisl. lib.* 10. *p.* 818. 819.

Erga Kazanovium liberalis est.

Adamum Kazanovium, posthac Curiæ Regni Mareschalcum, Vladislao, adhuc dum adolescenti, adeò percarum fuisse memorant, ut Sigismundus Pater Rex, Filio ne annulum quidem sibi à Matre datum retinenti, eum Kazanovio donaverat, prodigalitatem exprobrare necessum habuerit; eâ vicissim civis in liberalem Principem animi testificatione, ut Kazanovius divendito quantum habebat patrimonio, ærarij, Principales angustias suppleret, è privato censu. Inde miratus aliquando Vladislaus ejus in se affectum, quæsierat. Itane verò Kazanovius causâ sui patrimonium decoxis-

xiſſet? *Cui ille; Sic fortunam meam tecum Princeps conjunctam velim, ut te favente, indigens eſſe non poſſim, absq; te dives fieri nolim. Kochowſki in Annal. Pol. lib.* 3. *pag.* 174.

Poſtquam Sigiſmundus III. Kazanovij ſupellectilem attineri imperâſſet, Vladiſlaus ex thermis apud Egram redux non absq; aliqua indignatione, dolorisq; ſenſu hoc intellexit, ac primùm ſalutato Rege, petiit, ne eam ignominiam pateretur inferri aulico ſuo, ſuæq; inſimul exiſtimationi, præſertim cùm earum donationum conſcius eſſet, proindeq; interpretaturum quemlibet, per alienum latus tacitum ſibi fieri convicium. Deinde & illam de bonis adminiſtrandis conſultationem, quid aliud allaturam, niſi famæ ſuæ, reputationiſq; aliquod detrimentum, quaſi ejus prodigentia cura-

Pro Kazanovij honore intercedit.

curatore egeret. Hæc apud Patrẽ debita cum obſervantia urgebat. *Kobierzyc. lib.* 11. *p.* 917.

Rex ille circa mortem præclarum Chriſtianæ modeſtiæ, & Regiæ pietatis ſpecimen edidit, nam inter alia tempori congruentia meditamenta, ardorem animi comprimere non valens; O quàm velim, *inquit,* nunc toti mundo eſſe ſpectaculum, in quo mortales tanquam in ſpeculo videant, quæ in me DEVS exhibuit ſpectanda. Ac primò, qualis ſit humanarum rerum præſentis vitæ, vanitas: deinde quanta ſit ſuper unum peccatorem miſericordia DEI & benignitas! *Voluitq; iſta, coram omni aſtantium turba ijsdem verbis repeti, quod & factum, magno animorum motu. Kochowſki in Annal. Pol. in climact. primo lib.* 1. *p.* 14. 15.

Moribũdi effatum.

O IO-

IOANNIS CASIMIRI.

EX fratribus aliisq; Legatis, qui nomine Vladislai Principis in consessum Ordinum venerant, Princeps Ioannes Casimirus, modestissimè linguâ polonicâ est præfatus in hunc sensum;

Fratrem Vladislaum ordinib9 cõmendat.

Ego ac fratres mei in sinu istius Reipublicæ communis vobiscum Parentis nati, enutriti, eidem almæ nostræ Matri nonnisi felicissima quæq; precamur, & pro salute ipsius vitam nostram devovemus: fratrem quoq; nostrum Serenissimum Principem Vladislaum eodem animo in hanc Rempublicam semper fuisse, talisq; propensionis suæ experimenta clara jam dedisse, nemo inficiabitur, atq; ideò eum, quem commoda & incrementa ejusdem Reipublicæ probè curaturum cer-

tò scimus, ad regni istius fastigiũ promoveri desideramus, hocq; ab omnibus vobis ordinibus expetimus, quibus pro singulari ejusdm Serenissimi fratris nostri in singulos vestrum grata beneficaq; voluntate vadesq; obsidesq; nosmetipsos offerimus. *Piasec. in chron. p.* 538.

Ioannes Casimirus Princeps ex detentione Gallica restitutus Regẽ Christianissimum Ludovicum XIII. in hunc ferè modum allocutus.

Rex Christianissime, Domine cognate & affinis charissime.

Regem Galliæ alloquitur.

Qua fronte ad Majestatem vestram venio, ita velim animum esse nullius injuriæ memorem, & ut semper candidum & sincerum auguretur. Nulli enim apud me latebræ, nulli abditi recessus unquam, ut nec etiam eo tẽ-

 po-

pore, cùm primùm Majeſtatis veſtræ littus preſſi. Hic vultus, hæc innocentia, & hic candor, ut à natalibus, ſic ex Polonia diſcedentem per Germaniam, per Italiam, in triremem & ubiq; comitatus, etiam ex Hiſpania per Pyrenæos in hanc Galliam ante Majeſtatis veſtræ faciem detuliſſet. Nunc cùm aliâ viâ, & ratione venerim, per ambages minùs gratas, per abrupta, ſcopulos, diverſoria, & hoſpites inviſos, in eadem ſua ſtatione tamen manet animus, & hunc errorem neutiquam Majeſtati veſtræ, ſed malis conſultoribus adſcribit. DEVS, qui ut innocentiæ meæ teſtis, ſic delinquentium juſtus vindex, illis, qui Majeſtatis veſtræ mentem, à ſede regia, à cognatione, ab amicitia, & ingenita clementia in rigorem illum, & hæc

hæc atrocia ſeduxerunt, retribuat. Novi enim optimum naturæ illius optimæ, Majeſtatis veſtræ genium (quo jam olim Iuſtiſſimi Chriſtianiſſimi titulo ſociavit) à recto tramite ultrò non deviare. Adeoq; procul odio & ſuſpicione hanc Majeſtatis veſtræ dexteram, ut inſontem, ipſe omni affectu ſequiori vacuus, ut cognatus & affinis, amplector venerorq;. Et ut ſemper, ita porro hanc cognationis noſtræ, affinitatis, & amicitiæ candorē, velut illibatum, optima & ſimpliciſſima concordiæ & unitatis conciliatrix pariter & altrix mutua innocentia conſervabit. *Ludovicus Rex ad hæc reſpondere, & ſe & præterita excuſare cœpit, ſed ebullientibus paulatim lachrymulis impeditus, tandem ſermonem omnem vix*

 non

non pio fletu sepelivit. Wassenbergius in carcere gallico p. 237. *&* 238.

Cùm Anno 1651. *Ioanni Casimiro Regi dissvaderetur; ut prælio cum Tartarorum Chano & Chmielnicio se subduceret, nec tot ictibus, tot telis, ac discriminibus se objiceret, ab Rege responsum;* Incolumitatẽ propriã, nõ supra salutẽ civiũ curæ sibi esse, unanimem populi cum Rege vitam proinde unum corpus, uno animandum spiritu. Ego verò (inquiebat) nequaquam me à pulcherrimi operis consortio excludi patiar, videant ante se Cives Regem, & hostes formident. Eximi dubijs prælijs, esto sanè placuerit Regibus alijs, sibi minimè, ut qui inter ancipitia fortunæ educatus, magnis experimentis didicerit, successus victoriarum post DEVM, adminiculo imperantium parari.

Prælio non vult eximi sed adesse.

ri. Iungenda facta consilijs, ut nec provocemus discrimina, nec suspecto abscessu elabi sinamus vincendi opportunitatem. *Kochowski in Annal. Pol. climactere* 1. *lib.* 4. *p.* 251.

Calescente deinde pugna, stricto ferro & oculis acer, his formalibus usus est; Ea me tenet virtutis vestræ vetero-Polonæ opinio, milites, quod contemptũ Majestatis æternæ enormiter læsæ, templa ac altaria Divûm abominabili desolatione profanata, jura DEI & hominum violata ulturi, in hanc rebellem colluviem, extirpando nomini ac generi Polono barbaris associatæ, non degeneres Majorum posteri, viriliter agetis. Hîc unà mecum ejus, quam DEVS dederit, sortis participes, aut laudabili vita, aut præclaro fine sociandi. *Id ibid. p.* 256.

Idem

Idem Rex Cracoviæ adhibito Senatu conſultavit, eo themate; Se ubi diadema accepiſſet, jurejurando obſtrictum non niſi illud cum vita depoſiturum, proin deliberatum ſibi, ubi illud recepiſſet Cracoviæ, ſubſiſtere ibidem velle, aut mori. In oculis eſſet Civium ſuorum non inglorium intra muros fatum, qui pugnãtem Regem, campo & acie reliquiſſent. Supereſſe Numen, ut humiliter exoratum auxilietur afflicto, quòd ſi ita immobili ejus decreto, per quem reges regnant, caſus imminet, ſe in ſede regni haud indecorè occumbendum. *Prævaluerunt tandem mitiora, viſumq́, ultimum caſum non laceſſere, deſtinatâ in reclinatorium Sileſiâ nempe in Ducatu ſuo Opavienſi. Kochowſki in Annal. Pol. climactere 2. lib. 1. p. 32. & 33.*

Cracoviæ extrema expectare voluit, ſed tandem in Sileſiâ abit.

Dum

Dum pro recuperanda Varſavia præſtò eſſet, & Sveci ad vitandum aſſultum rogabant, vim ad ſexhorium ſiſti, Rex famam clementiæ ſemper fortioribus conſilijs præhabens geminam Svecis horam in diſcutiendã deditionem conceſſibilem edixit, proferendo, pro eliberanda Varſavia ſe agere velle, non ut everteret urbem, aut innocui ſanguinis profuſionem intenderet, quid enim ſalvum intus, aut integrum manebit, ſemel permiſſâ ferro licentiâ, caſuros Svecos juxta & cives, hoſtes & innoxios, dicatas DEO perſonas, profanoſq; incolas, ſexum imbellem, & ignaram noviſſimæ calamitatis infantiam, promiſcuo excidio involvendam. Idem furor loca ſacra invaderet, non templorum opes, non publici theſauri, non privatorum ſubſtantiæ effugient rapaces manus, de-

Mitiorē viâ pro recuperanda Varſavia eligit.

 ni-

niq; non ſine jactura propria ſævituros victores, viriliter de fato deliberaturis Svecis, nec inulto fine mortem oppetituris. *Sveci intra præſcriptum tempus ad leges deditionis comparuêre, & negotium unâ horâ abſolutum eſt. Kochowſki in Annal. Pol. Climact.2. lib.2.p.* 141.

Cum Electore Brandeburgio reconciliatur.

In congreſſu reconciliationis inter Regem altè memoratum, atq; Electorem Brandeburgicum Fridericum Wilhelmum anno 1657. *Bydgoſtiæ, ubi ſemotis arbitris collocuti ſunt, Rex ad ſermonem Electoris repoſuiſſe fertur;* Regna à fato dari, ac ut placuerit Numini, procellis bellorum agitari; illo adgubernante proſpera fluere, evenire adverſa. Conditionem mortalium in eo ſtare, ut ſorte verſetur, ex amicis hoſtes, ex hoſtibus amicos faciendo; breves tamen amicorum iras, & ante ſolis occa-

ſum deponenda odia. Plus conſtãtem totâ vitâ Sereniſſimi Electoris amicitiam, quàm perfunctorium ex neceſſitate ſeceſſum æſtimare, cui diluendo præſentis animorum redintegrationis victimam ſufficere Numini & ſibi; ut qui tranſacta æquanimiter tuliſſet, jam meliora optet. Quæ dum boni Superi largiuntur, viciſſim ſe cælo litare, ac cum affine Principe, ut ante officijs, & charitate certaturum. *Id. in Annal. Pol. Climact.* 2. *lib.* 3. *p.* 261.

Pro Czarnecio intercedit, ut ipſi Tykocinũ jure hæreditario cõcedatur.

Poſtquam idem Rex in Comitijs anno 1661. *anniteretur, ut Tykocinum Czarnecio Palatino Ruſſiæ jure hereditario in laboris præmium & emeritæ virtutis ad poſteros honeſtatem à Republica verteretur atq; complures è Nuntijs ſe opponerent, conſurgens è throno Caſimirus hæc verba effudit:* Si virtus & labores emeriti Ductoris in-

infra vobis videntur, ut Tykocinum obtineat Czarnecius hereditate; at quidquid meorum in hanc Rempublicam extat meritorum, lanci ut æqui valeant, infero; si parum est, Avitæ mihi Iagellonicæ Domus collata in vos beneficia, cumulo superaddo? Par pari reddite. *Principis vox silentium disceptationis imposuit, & extorsit assensum, ut demùm* tribuendum Czarnecio jure hereditatis Tykocinum lege publica transcriberetur. *Id ibid. pag.* 503.

In ijsdem Comitijs die XVII. Iulij considebat in throno Rex Ministrorum turbâ septus, Regina Maria Ludovica prælustribus circumfusa matronis è regione throni fenestram in peristilio ampliorem occupaverat, unde videre, & videri posset, frequens in statione miles locatus, & firmata ubiq; prætorianis palatij atria, cum pleno Senatus Eque-

Equestriumq; cætu non jam pro recepto more, ex sigillorum Præsidibus aliquis Regiæ mentis interpretem agit, verùm ipsemet Princeps quæ sibi intentio esset, ore proprio explicare aggreditur, itaq; semotâ impertinente turbâ, ac imperato per Mareschallos silentio, in eum modum Rex proloquitur; Electionem successoris proponit. *Extra dubium est, Propositionem meam ad Conventus particulares, de Electione Successoris, stante vita mea, instituendâ per Prouincias dimissam, apud Fidelitates Vestras alicui admirationi motiuum exstitisse: quòd insueta Regnantibus solicitudine, Successorem mihi viventi designari cupiam, quem naturali modo & ordine Fata mihi negaverunt. Neq; minus ambigo quin res hæc, vt rara, sic insperata, diversos sensus & consilij mei repererit interpretes. Quibus opinionibus vt explicita Declaratione occurram, de sincera & candida intentione mea,*

 Fid.

Fid: VV. oretenus edocere visum. Inprimis nemo existimet, velut repentè ac minus consideratè ad id consilij accesserim; cùm ab Anno 1655. fatis cedente Fratre meo Carolo Ferdinando, iam gravescentem annis ætatem considerans, iam habendæ prolis exspes, & proinde Domus meæ nouissimus, æquum censui, imò ex officio duxi, id amoris carissimæ Patriæ exhibere documentum, ac velut præmonitionem: vt, si humanitùs mors accideret mihi, in casum & discrimen Interregnorum sese committere nollet. Sed hæc intentio aut cogitata mea, ubi diuersi hostes Regnum exagitant, seponi aut differri debuêre: resumpta demum & penitius trutinata, post quam Resp. à cladibus respirare cœpit. Ergo altiùs considerando Domum meam, à trecentis propè annis ex linea materna, ex paterna à Septuaginta amplius, liberis suffragijs vestris in solio Sarma-

matico collocatam, me hîc inter vos educatum, & à vobis electum in præsens regnare: desiderans desideraui hoc gratitudinis monumentum in animis vestris relinquere, vt beneficiorum avitorum, simul exhibiti amoris mei memoria, ipsis Fatis superstes, non cum expirante vita mea extingueretur: sed apud bonos Cives & Subditos grata recordatione, ex eo perennaret, quòd instinctu & permissu meo, ad liberam Electionem viam aperuerim, quæ nonnisi me vivente libera esse, ac dici meretur. Quippe iam consilijs eiusmodi, iam viribus meis ad examen revocatis, quonam facinore huic Reip. solus & unicus Familiæ Iagiellonis superstes, continuatum in Stirpe mea Imperium regratificari valerem, hac præsenti propositione, nihil efficacius reperi: ad quam uti salutis antidotum, vobis commendandam, verba Prophetæ aptare liceat. Popule mî, quid am-

amplius tibi facere potui, & non feci. *Testis cordium scrutator DEVS, me non sanguinis, non favoris, non commodi, aut alicuius passionis respectu duci impelliue; qui iam per legem mortalitatis omnia mea domusq; meæ Fata in agonem traho; nec quenquam reperiri posse arbitror, qui secus eam intentionem meam interpretetur; ubi attentiùs perpendit, quòd seposita diversorum Casuum Regnantibus accidentium vicissitudine, Statûs & dignitatis propriæ immemor, soli virtuti Polonæ, meæq; in Patriam amoris sinceritati fisus* Ius Majestatis *cùm Rep. à qua accepi diuidam. Credite eodem Teste Numine, me nullum Libertati vestræ præjudicium velle aut intendere, imò bonâ conscientiâ sic sentire, immunitates vestras, non aliter nec validiùs firmaturum, nisi concessâ vivente & regnante me Electione. A parte sua in totum præcauens, ac sacrosan-*

san-

sanctè spondens, nullatenus immiscere, se Actui Electionis, eundemq; vobis placitum approbare, quemcunq; prius voluntas Altissimi, dein unanimi suffragiorum calculo, Elector Populus dignum Solio judicaverit. Modo sit à stirpe Catholicus; ex antiqua Principum prosapia oriundus; neq; vicinorum Monarcharum vasallus; aut recenter creatus Princeps; neu ditiones suæ ab arbitrio alicuius minus Christianis fauente Monarcha dependeant; quiuè belli Turcici molẽ secum traheret; insuper, ut benè junior annis ætatem meam subsequatur. Neq; magis optauerim, non ex ijs eligendum, qui vel ipsi Patriam istam armis oppugnauêre; aut filij eorum, qui per vim & potentiam, aliquando eandem occupare satagebant. Prolixius haud è re duco exponere talis Electionis cõmoditatẽ, aut evidentia pericula Internis regnorum; eo solum adiecto, quòd licet plu-

 ra

ra Interregna olim eluctata Polonia fuerit, iam in præsenti non sine discrimine illi succumbendum foret. Quippe antiquo & simpliciore sæculo, sincerus candor, studium & amor recti apud Majores nostros, non commodis, non respectibus Vicinis cogniti fuimus, etiam impermisti factionibus, distinuimus ignorantes, in quem usum nos ambirent exteri: opes nostras illi non noverant, amicitiam infra ponebant, indolem ac virtutis studia non intelligentes, pro simplicitate contemptim accipiebant. Nos ipsi stipendiario exercitu caruimus, Castrensis seruitij turbas, & hinc enatas Confederationes militares ignoravimus. Inauditum olim, uti perperam, ac per vim parte altera renuente, intruderetur Regnaturus; nullus superat metus, ne discordem Poloniam vicini inter se partirentur: quæ nunc mala certò certiùs (vtinam sim falsus vates) imminent,

nent,

nent, ac metuendum sit, ne sine Electione tali deueniat Resp. in direptionem gentium. Moschus Cosacusq; ad sui idiomatis gentes sese indicent, quin & Mag. Lith: Ducatum sibi destinabunt. Majoris Poloniæ confinia Brandeburgico patebunt, imò ne de Prussia quoq; vel pactis, vel armis, in theatro nostro digladiari præsumat, metuendum. Neq; domus Austriaca in ea direptione oportunitatem intermissura videtur, Cracoviam respiciens: mallente vno quoq; Vicinorum armis quæsitam obtinere Poloniæ partem, quàm integrum expectare Regnum, antiquis immunitatibus contra Principes tutum. Etiam quis sponsor, Exercitus nostros, aut alias partes in Rep. facturos, aut potioribus accessuros, vt rapientibus possessio Regni addicatur. Accedit novus in Rep. status Cosacorum, quibus vt nullus me Regnante ad Remp. accessus, sic

 in

in turbido Interregni licerent omnia. Perpendite itaq; Poloni altiùs, Electionem hanc nisi me vivente liberam institui posse, nec sibi imponatis antiqui moris amore, stylum & genium Orbe vniverso mutante. Accipitote grati, nouissimum hunc Paterni affectus mei conatum, vobisq; & posteris vestris consulite, eam Electionem ad meliora tempora haud differendo; nam felicitas hæc temporum deriuatur ab ipso actu eligendi, protinùs expedito. Labascet eo facto animus, & nocendi vis omnibus Patriæ hujus minus amicis, vbi viderint firmissimis aduersùm imminentia fulcris & munimentis circumdatos. Si differtis periculum ex mora imminet, quippe ego ne pro una hora vitæ meæ in post trahenda spondere ausim; exilis valetudinis conscius, & annis in nouissima inclinantibus. Finio Ter Opt: Max: precatus, vti eam det Fidd: Vris:

mentem vt sincera hæc & ab omni respectu semota intentio mea, in cordibus bonorum Ciuium reperire valeat debitæ gratitudinis fundamentum, unde mox emanaret publicæ vtilitatis fructus: pro certissimo tenens, quod affectus is corroborabit erga me animos Gentis fidissimæ, in obsequio ac fide ad extrema vitæ meæ, exemplo Majorum suorum constantissimè retinendæ. Vid. Kochowski in Annalibus Polonicis Climact. 2. lib. 7. p. 506. & seqq.

Tandem Ioannes Casimirus mirum edidit Aulis exemplum, ut cum posset imperare, destiterit. Sermo autem, quo die XVI. Septembris Anno 1668. *Reipublicæ valedixit, hujus erat tenoris;* Quando jamjam elabitur hora, ut amoris paterni debitum à ducentis octuaginta annis Pupillæ Domus meæ huic inclytæ Reipublicæ exsolvam, Comitiis & Castris de-

defessus, Calamitatibus per annos viginti fractus Rex & Pater, quod mundo pretiosissimum est, coronam in manus Dominationum Vestrarum deponam, pro Throno Torum eligo, dum huic seculo funeris mei superstes emorior, pro Regali Globo glebam terræ, eamque in sinu charissimæ Matris cōmunis vestræ meæq; Patriæ intra cineres Majorum meorum mihi reservo, ut quemadmodum me primum in Castris ac ultimum ex præliis & clade vidistis, ita in Annalibus primum ob amorem Patriæ augendæq; ejusdem fortunæ, humana postponentem, Majestatemq; Regiam dispositioni vestræ reddentem memineritis. Amor vester liberis vocibus huic me Solio imposuit, amor vicissim meus erga vos supremum me utriusq; lineæ hæredē li-

berè dimittit. Monarchæ cæteri Filiis, Fratribus, aut Consanguineis abdicando Coronam tradiderunt. Ego eandem Patriæ carissimæ Reiq;publicæ ut Pater & Filius reddo, ejusq; amore ex Duce Gregarius, ex Imperante Parens, ex Rege Concivis fio, ut juniori & Reipublicæ magis proficuo locum concedam, cujus in Electione ut DEVS Dominationes Vestras prosperet in solitudine mea negotiorum vacuus Majestatem ejus Sanctam implorabo. Gratias jam igitur vobis pro omnibus Charitatibus, Officiis, susceptis periculis, pro Consiliis, præsidio, & reditibus ago. Si cui ex rationibus Status, vel fatorum quid ingratum accidit, condonet quæso, ipse vicissim omnibus do veniā. Sic tandem ultimum vale singulis dico, & cordi meo vos

vos apprimo, in quo dulcem Veſtri memoriam, quoad vixero, circumferam. Benedictionem inſuper Paternam omnibus & ſingulis impertio, & quanquam diſtantiâ loci disjunctus fuero, animo certè à communi Matre nunquam divellar, in quâ corpus hoc in cineres olim reſolutum deponi deſidero. Et cùm labilis memoria ac luctus in lachrymas effuſus plura effari non permittat, uberiora amoris & candoris mei argumenta ex charta hac, quam ad prælegendum trado, intelligetis;

Jam dudum eſt hoc meum interruptum boni publici & tam valetudinis quam conſcientiæ meæ rationibus innixum propoſitum, Coronam hanc à Dominationibus veſtris capiti meo impoſitam, & à tot annis per Anteceſ-

ſores meos poſſeſſam, in manus, & ad liberam diſpoſitionem Dominationū Veſtrarum ſolenni reddere Abdicatione. A primâ meâ, quam mihi amor dictavit in Comitiis Anni 1661. declaratione, ſemper in me repoſita manſit opinio, quod debuerim Reipublicæ conſulere, ut me vivente anteverterentur pericula illa, quibus inopinatum InterRegnum ex fundamento eandem movere & turbare poſſet. Præſtolatus ſum tantum ejuſmodi, uti nunc ſunt tempora, quando Reſp. à Confœderatione militari, turbis internis bello Moſcovitico pacata commodè & ſine diſtractione ſibi conſulere, & liberæ vacare Electioni poteſt. Adducit me ad hanc Abdicationem cura ſalutis æternæ, quam, uti quilibet contemptu terrenorum ſibi conciliare tene-

tur, ita difficiliùs mihi foret in Throno eandem parare, ſi abrogatione dignitatis memet humilians, & ex altiſſima fortuna & Regiis incommoditatibus exuens, mihi ipſi atq; animæ meæ reliquos dies non impenderem; Sed non minus ad iſtud me impellit, amor erga hanc Patriam & Dominationes Veſtras, quem tam difficili & inſolito modo teſtari volo. Sentio me ætate & valetudine infirmum, preſſumq; laboribus continuis & conſultationibus atq; Caſtris fractum, ut vires meæ curis regnandi non valeant ſufficere, malo itaq; me ipſum exinanire, quò ad publica commoda Dominationum Veſtrarum juniori, & capaciori Succeſſori fores aperiam, quando Dominationes Veſtræ Adjutorem mihi adſciſcere & adoptare noluerunt; Quippe-

pe video, quod ſinceræ intentiones meæ ſiniſtrè explicatæ, & ſuſpicionibus quaſi minus liberæ Electionis oneratæ, aliter non poſſint juſtificari, & Reſpublica hâc opinione turbata aliter pacificata eſſe nequeat, niſi per hoc documentum amoris mei, quando quilibet animadvertit, quod libera manebit Reipublicæ electio, quod ego deponens Diadema ſolvo metu timentes gratis, ac ſi illud peregrino capiti imponere cogitaverim. Magis ergo in hoc operatur apud me ratio publicæ quietis & amoris erga Dominationes Veſtras, quam commoditatis, quietis propriæ & privati boni conſideratio, pro quibus, quàm moderatè me habeam, ſatis oſtendit Actus hodiernus, dum jisdem quicquid mundo eſt chariſſimum charitati Reipublicæ poſthabeo.

beo. Proteſtor coram DEO, quòd per hanc Abdicationem, nullum præjudicium libertatis Dominationum Veſtrarum, nec facio, nec video, ſed potius ita exiſtimo, me per apertum Interregnum viam ad augmentum eidem parare. Quod ergò fauſtum felixq; ſit huic Reipublicæ, & mihi apud DEVM meritorium, atq; apud univerſum Orbem glorioſum, jam maturâ præmiſsâ deliberatione ſanus mente & corpore, liberè, non coactus, Diadema, Sceptrum, Regimen, & Regnū, uti mihi eſt in Electione delatum, & in Coronatione confirmatum, cum omnibus quæcunq; Majeſtati & juribus Regum Polonorum & Magnorum Ducum Lithvaniæ ab antiquo competunt, nihil ſibi, nec alicuicuidam reſervans, in manus Senatus, Nobilitatis, & o-

mnium Ordinum utriuſq; Gentis abdico, reſtituo, reddo & omni meliori modo formaq; reſigno, omnes Ordines & quemlibet in ſpecie fidelitatis juramento, aut quovis alio præſtito ſolvo, & ab omni ſubjectione & obligatione ſubditos ſive Vaſallos mitto & abſolvo. Duces etiam Brandenburgicum, & Curlandiæ ab homagio & reliquis obligationibus pro meo intereſſe tutos & liberos pronuntio. Quod non tantum hâc meâ vivâ voce, ſed & Diplomate ſolenni, in manus Reipublicæ tradito, confirmo & ratifico, atq; Diploma Electionis meæ 1648. authenticum & Originale reſtituo, reddoq; caſſo, & annihilo. Impertior actu liberrimam facultatem Domino Archi-Epiſcopo declarandi Inter Regni toti Reipublicæ, procedendi ad

liberrimam Electionem Regis novi, eundemq; eligendi & Coronandi, simul declaro & promitto, quòd non tantum nullo modo impediam futuram Electionem Regnaturi, sed deniq; ad Confutationem qui venditabant, ac si cum aliquo de Regno transegissem, nullum Candidatum Dominationibus Vestris proponam, vel recommendabo, atq; ab hinc in persona ab actibus Convocationis & Electionis me recipiã, absensq; ero. Teneor insuper ex conscientiâ præcavere atq; rogare Dominationes Vestras, ne quêquam huius Consilij velint invidiâ onerare. Omnes Potestates externæ me rogarunt, & ad hoc usque momentum me flagrantissimè rogant, ut hoc Consilium mutem, Civibus autem me oportet cum gratâ recordatione amoris.

ris erga me præbere testimonium, quod nemo illorum inventus fuerit, qui laudaret, multò minùs svaderet Abdicationem, quæ quod sit opus manus Domini & Vocationis meæ necessitas, inde apparet, dum totius mundi improbatio mihi eandem ex corde avellere non valuit. Et sicut in hoc toto negotio nemo de charitate meâ erga hanc Rempublicam dubitare potest, ita & ego vicissim fidenter de Dominationum Vestrarum amore mihi polliceor fore, ut pro substantia mea, Statui meo, atq; Honori Reipublicæ condigna, reservatos per me à supra dicta Abdicatione ejusq; pronunciatione exceptos reditus, hoc est, Oeconomiam integram Marieburgensem centum millia redituum, ex salis fodinis Vielicensibus, & denuò centum mil-

millia ex Vectigalibus Regni & Russiæ, ad mensam Regiam spectantia, in Lithvania, Grodno, Sokol, & vectigalia, uti possidebantur, ut mihi à futuro Principe præstentur, per Pacta conventa caveatis. Per quod nihil de pane bene meritorum decedet. Reditus ex Oeconomiis omnibus, Sceptro vacante, ut ad me quoq; ordinario modo perveniant per totum InterRegnũ, mihi plenariè reservo. Erit hoc gratitudinis Dominationum Vestrarum erga me, (ut rogo) documentum, quando futuro Regnanti in Capitulatione exsolutionem meorum meæq; Domus debitorum commendabunt. Utrumq; hoc à Dominationibus Vestris impetrabit Domus Iagellonicæ tam beneficum à ducentis annis regimen, sub cujus propensione erga hanc Rempublicam

cam libertates illius notabiliter creverunt. Valedico itaq; paterno corde Dominationibus Vestris ex Throno decedens, orans ut Dominationes Vestræ hanc paternam & omnes charitates superantem intentionem meam gratè excipere, & sincerè interpretari velint. Gratias ago Dominationibus Vestris pro conservatione fidelitatis, & subjectionis, quam difficillimis temporibus constanter expertus sum. Puto quòd nemo de Regimine meo conqueri possit. Si quid tamen alicui in administratione nostra minùs placuerit, rogo ut hoc fragilitati, à quâ Diadema non liberat homines, & rationibus Status, quæ cum privatis utilitatibus non semper conveniunt condonet. Tandem uti amorem erga hanc Rempublicam cum Regali palu-

damento non exuo, ita Dominum DEUM oro, & ardentius solutis curis orabo, ut Dominationibuss Vestris ejusmodi suppeditet consilia, quibus per brevem terminum Interregni, & evectionem digni in Thronum Regnantis, exteras & malevolas prævertere factiones, fines defensos tutosq; habere, internam tranquillitatem, & solidam unanimitatem inducere possint.



IN-

INDEX.

Ioan-



ERRATA

Pagina 34. *linea ultimâ lege pro Consilianos, lege Consiliarios.*

Pagina 44. *linea penultimâ loco referre lege re fare.*

Pagina 58. *linea* 9. *pro petit, lege petiit.*

Pagina 74. *lib.* 12. *lege pro pium, piam.*

Pagina 103. *linea* 17. *loco principales, principalis.*

In Dedicatione pag. 3. *lin.* 4. *post* amat *adde,* Fata viam monstrarunt atq; invenerunt.



Hist. Polon

c. opera

